5. 6. 171

Digitized by Google

Digitized by Google

GUIDONIS FERRARII

S. J.

INSCRIPTIONES
EPISTOLÆ
DISSERTATIONES.

o(VOLUMEN III.)o

Digitized by Google

GUIDONIS FERRARII

E SOCIETATE JESU

DISSERTATIONES

PERTINENTES AD INSUBRIÆ ANTIQUITATES.

MEDIOLANI

TYPIS MARELLIANIS.

o(MDCCLXV.)o

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOSEPHUS MARELLUS LECTORI.

AUctor primum annotationibus illuſtrandas ſtatuerat Inſcriptiones Oppidorum, quæ ſunt Vol. 1. p. 81. Sed cum illæ excreſcerent, obruerentque omnia, Diſſertationes haſce exornavit. Non ego is ſum, ut poſſim aut velim de his judicium meum interponere. Quod mea intereſt, hoc moneo præter errata, quæ ſuo ſunt loco propoſita, minuſcula quædam alia excidiſſe: ea ſunt *deſigno* cum duplici *ſ*: *Maphæus* cum *f*: *Enricus* cum *g*: *Rhadamanthus* ſine aſpiratis: *opus eſſe*: *ignoretur ætas* virgulis inconſulte diſtincta. Præterea *plæreque*: *Cecilius*, *Plinius*: *Statione*: Tu vero *pleræque*: *Cæcilius* *Plinius*: *Stationæ*; & ſi qua alicubi fortaſſe ſunt alia ſimilia per tete ipſe corriges. Pueri mei feſtinationis excuſatione utentur: Auctor negabit facile quemquam eſſe perbonum emendatorem ſui: Vale.

Post

Post Scriptum.

Amico, cui caſu, dum in Bibliographia mea verſaretur, hæc volumina viſa ſunt, novum accidit alicubi poſt Epiſtolas, & Diſſertationes paginas poſticas, puras nec exaratas occurrere. Nempe Typographorum ſolemnem Canonem ignorabat, quo cautum, uti quælibet novæ Scriptionis initia diſparem numerum, anticamque habeant paginam.

DISSERTATIONUM AD INSUBRIÆ ANTIQUITATES PERTINENTIUM ELENCHOS.

DISSERTATIO I.

De Nomine & Conditore Urbis Novariæ pag. 1.

I. QUi potiſſimum Scriptores Urbem a fluvio cognomine dictam putent.

II. Quid ſit Tabula Peutingeriana, cui illi fidunt: uſus tabularum Geographicarum & Chorographicarum apud Veteres.

III. Quæ fides habenda ſit Tabulæ Peutingerianæ.

IV. Agoniæ fluvio Novarienſi nomen a Populis Agonibus fuit.

V. Notitia hujus Gentis.

VI. Unde Urbi nomen Novariæ inditum.

VII. Quis ejus Conditor.

DIS-

DISSERTATIO II.

De Herculis in Inſubriam adventu pag. 21.

I. Hercules non eſt Perſona confiƈta.
II. Ex Herculum multitudine orta obſcuritas.
III. Et ex Græcorum levitate, qui Græcum Herculem exornarunt fabulis.
IV. A Græcis Latini condidicere fabulas: hinc magna Alcidis fama per omnem Italiam didita.
V. Is tamen pene totus eſt conflatus ex Samſone & Joſve.
VI. An Hercules Thebanus unquam in Italiam pervenerit, & monumenta reliquerit.
VII. Monumenta Italica Alcidis ſunt fabuloſa.
VIII. Alcides neque venit, neque potuit in Italiam venire.

DISSERTATIO III.

Altera de Herculis in Inſubriam adventu pag. 37.

Confutato ſiſtemate Dan. Huetii, qui quotquot retulere nomen Herculis, contendit Joſvem eſſe, hæc ſtatuuntur:
I. Hercules in Hiſpania cultus, eſt Phœnicius.

II. Cur idem vocetur Ægyptius.

III. Non duo ſunt Hercules Phœnicii, ut putat Gherardus Voſſius.

IV. Phœnicius eſt æqualis Moſi.

V. Circa vel paulo ante Joſvis irruptionem in Palæſtinam Hercules migravit in Africam cum Phœnicibus, ſeu Cananæis.

VI. Cur Cananæi Phœniciorum nomen aſſumpſerint, undeque id partum.

VII. Quandiu in Africa manſerit Cananæorum nomen.

VIII. Herculis in Africa monumenta.

IX. Quo loco Hercules transfretarit in Hiſpanias.

X. Cur dicatur ſtatuiſſe ad fretum Columnas.

XI. A quibus Gaditanum Herculi Templum exſtructum, & cur adeo verendum.

XII. Hercules ex Hiſpania per Gallias in Italiam deſcendit.

XIII. Non per Grajas, ſed per maritimas Alpes, & per Ligurum fines.

XIV. Adventus ejus in Inſubriam.

XV. Quæ de Herculis Phœnicii expeditione in Italiam traduntur, non minus fidem merentur, quam multa alia certiſſima.

XVI. Monumenta, & Coloniæ ab Hercule relictæ in Inſubria.

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Prælii loco inter Marium & Cymbros in Agro Novarienſi pag. *67*.

I. Scriptorum opiniones circa prælii hujuſce locum.

II. Omnium ſententiæ in unum eundemq. locum conveniunt: Raudius campus ignotus Geographis deſignatur; idem habet ad hanc diem nomen in Novarienſibus.

III. Deſignantur Caſtra Marii, ubi de prælii loco & die convenit inter Marium & Cymbros.

DISSERTATIO V.

De Vicecomitum Origine, Principatu, Propagine pag. 75.

I. Opiniones nonnullorum circa Vicecomitum originem.

II. Ab Heriprando, qui florebat A. 1036. in poſteros perpetuo tranſmiſſum Vicecomitum cognomen: Heriprandi & Othonis filii ejus virtus: ab Othone cœptum ſtemma gentilitium Anguis infantem evomentis.

III. Guido, & Otho II. Othonis I. filius, & Nepos Curte Maſſini donantur: Diplomata hanc in rem.

IV.

IV. Ubertus fil. Otho Archiepiſcopus Mediolani, & Andreottus Uberti filii.

V. An anguſta re familiari tum uterentur, ut tradit Jovius, & Calchus.

VI. Theobaldus Andreotti filius, Matthæus Magnus, & Ubertus auctor propaginis Dominorum Somæ filii Theobaldi.

VII. Uti ad Othonem Archiepiſcopum pervenerit omnis Inſubriæ dominatio, Mediolanenſibus ultro ad illum Principatum deferentibus poſt exactos Turrianos.

VIII. Matthæus ſuccedit Othoni Archiep. Magno Patruo: ejus propago Mediolani dominata uſque ad Joannem Archiepiſcopum.

IX. Matthæus, Barnabos, Galeatius fratres: Jo: Galeatius Galeatii fil. ſolus Mediolanenſem Principatum, & Ducis nomen obtinet: in ejus filiis hæc propago exareſcit.

DISSERTATIO VI.

Altera de Origine Vicecomitum, ſive de Ubertina Stirpe pag. 103.

I. Ubertus Matthæi Magni Mediolani Domini frater: ejus filii.

II. III. IV. Vercellinus Uberti filius, ex quo Marchiones S. Viti, Condomini Somæ; eorum nomina, res geſtæ, poſteritas ad hanc diem: ſeries

ſeries Comitum Lunati Puteoli, Condominorum Somæ videnda num. III.

V. Joannolus alter Uberti filius, ex quo Marchiones S. Alexandri: eorum nomina, res geſtæ, poſteritas ad hanc diem: additur Tabula, ubi diſtincta in ſua ſtemmata, & propagines eſt ſtirps omnis Matthæi Magni, & Uberti.

DISSERTATIO VII.

De Angleria pag. 129.

I. Fabulæ de origine Angleriæ.

II. Commenta de Angleriæ Comitibus, deque eorum origine aut a Berengario II. Rege Italiæ, aut a Deſiderio Langobardorum Rege.

III. Licini Forum memoratum a Plinio veriſimilius hic fuit.

IV. Quando, quamdiu, curque Oppidum habuerit nomen Stationæ.

V. Qua ætate, undeq. ortum nomen Angleriæ.

VI. Summa ſemper dignitas Oppidi.

VII. Angleriæ vindicatur nomen Stationæ ex Actis S. Arialdi, cujus mira corporis inventio & Mediolanum translatio attingitur.

VIII. Quinam ſtuduerint Angleriam veteri dignitati reſtituere.

IX. Uti a tribus, eoq. amplius ſæculis conceſſerit in ditionem Borromæorum.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

De aliquot Oppidis Verbani Lacus, eiq. fere adjacentibus in ora Novarienſi pag. 157.

I. Arona, ejus antiquitas, & monumenta.
II. Fontanetum, ejus Inſcriptiones Romanæ.
III. Suna, ejus Inſcriptiones.
IV. Palantia, falſo a nonnullis ſumitur pro veteri Polentia: a quibus condita; ejus Inſcriptiones. Calpurninum, a quo conditum.
V. Intratium: ſuſpicio de C.Marii ſepulchro.
VI. Inſulæ Borromææ.
VII. Lacus S. Julii.

DISSERTATIO IX.

De origine Orobiorum pag. 177.

I. Orobii populi olim in Inſubria; eorum ſedes, & fines.
II. Non erant populi Græcanici.
III. Non ex Galliis profecti cum Belloveſo.
IV. Fuere Aborigines: priſcum eorum nomen veriſimilius fuit *Bergomiſci*.
V. Erant Celtæ, neque tamen ex Gallia Celtica.
VI. Quam late paterent Celtæ in omni Europa.

VII. Cur nonnulli ex illis *Gallorum* nomen retulerint.

VIII. Linguæ Celticæ mira propagatio; uti etiam in Italiam defluxerit.

IX. Oppida Celticæ originis, & alibi in Europa, & in Orobiis, atque Inſubribus.

DISSERTATIO X.

De origine Inſubrum pag. 197.

I. Seprii Oppidi antiquitas, & ruinæ.

II. Hujus Oppidi priſcum nomen præfert originem Inſubrum: fabulæ recentiorum hac in re.

III. T. Livius originem Inſubrum non aperit.

IV. Neque Plutarchus, Strabo, Polybius: irrita promiſſa P. Jo: Gaſp. Berettæ.

V. Imago Marchionis Theod. Alex. Trivultii cur hic loci: ejus prolixitatis excuſationem auctor poſtulat: utinam hujuſcemodi viris omnes amici ſimilia.

VI. Priſcum nomen Inſubrum erat *Iſombri*, ideſt *Umbri inferiores*: explicatio particulæ *Is*, ed *Ins*. Inſubres aliquoties etiam dicti *Umbri*.

VII. Umbri cum Siculis fuere primi Italiæ Incolæ: non mari, ſed terra primitus pervenere in Italiam.

VIII. In Inſubriam venere, antea quam in Etruriam, & in Umbriam irent: nomina utrobique æqualia: hinc eò delata ſunt.

IX. Umbri erant Celtæ: Celtica vocabula, quomodo in Latinam linguam tranſmiſſa.

DISSERTATIO XI.

Altera de origine Inſubrum pag. 219.

I. Ex Inſubria Celt-Umbri in Tranſpadanas regiones, indeque in Liguriam commigrarunt: vera etymologia nominis Ligurum; cur hi reperiantur tam late fuſi.

II. Ligures prognati erant ab Ambronibus.

III. Ambrones Ambri, Umbrones Umbri idem erant genus: oſtenditur quam crebra fuerit permutatio vocum, vocalium cauſa: exempla in omnibus vocalibus.

IV. Ex Liguria Celt-Umbros tranſiſſe in Gallias, & in Etruriam, conjecturæ.

V. Umbri Ligures, atque adeo Umbri inferiores, ideſt Inſubres, profecti ſunt ab Ambris, ſive Ambronibus, qui erant Umbri ſuperiores: Ambrones ejuſdem generis fuere ac Sicambri, Sicambri ejuſdem ac Cymbri.

VI. Umbrorum ex Cymbris origo ex nomine ipſo & facto confirmatur: Umbri etiam in Britanniam invecti.

Digitized by Google

VII. Quæ ætas nomen Cymbrorum extulerit: horum & Cimmeriorum gentem unam fuiſſe indicia.

DISSERTATIO XII.

De Inſubriæ late ſumptæ Fluminibus, & Lacubus pag. 245.

I. Ollius, Mela, Cluſius, Ubartus, Humatia, Abdua, Lamber: Lambrani populi in Inſubria nuſquam fuere. Ticinus: pugna Annibalis cum Scipione ad Ticinum oſtenditur, quo veriſimilius loco fuerit. Seſſites: de Pado alibi: hi fluvii.

II. Lacus Cereſius: de Verbano & Lario alibi: Eupilis Jovii; portenta de magnitudine Larinorum piſcium: Cuſius.

DISSERTATIO XIII.

De Incolis Vallium ad latam Inſubriam pertinentium pag. 253.

I. Triumpilini, Camuni, Suanetes.

II. Vennonetes, Vennones, Ruguſci.

III. Iſarci, Meſiates, Lepontii, Breuni: Quadrii conatus, ut hos populos traducat in Vallem Tellinam.

DISSERTATIO XIV.

De veteri Urbe Laude Pompeja pag. 261.

I. Fabulæ de ejus Conditoribus.

II. Quis ejus Conditor, aut Inſtaurator.

III. Quis eò Coloniam deduxerit, nomenque Laudis Pompejæ tribuerit.

IV. Quando Urbs vetus diruta: Loci nomen, ubi iterum fuit condita.

V. Urbis veteris reliquiæ; in his monumentum inſigne Portæ veteris ſuperſtes, quem reſpiciat.

DISSERTATIO XV.

De Marii Gerundo, quo nomine appellabatur antiquus Lacus in tractu præſertim Laudenſi pag. 271.

I. Nominis antiquitas & origo, veriſimilius a primis Inſubriæ incolis.

II. Lacus cauſa, ſitus, amplitudo, veſtigia reliqua.

III. Inſulæ, quibus diſtinguebatur: Inſulæ Fulcheriæ ſitus ex diplomate Friderici I.: minores Lacus eo exhauſto diu ſuperſtites.

DISSERTATIO XVI.

De Severini Boetii ſupplicii loco pag. 283.

I. Quinam Scriptores Boetium Papiæ gladio ſublatum contendant. An amputatum caput per ſe ſe ipſe in vicinum Templum attulerit.

II. Severinus Boetius non Papiæ, ſed in Pago Calventiano, non procul Mariniano, occiſus fuit, nec gladio.



Die 20. Junii 1765.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Hyacinthus Cattaneo Ord. Præd. Sac. Theol. Mag., & Commiſſarius S. Officii Mediolani.

J. A. Viſmara Pœnit. Major pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Archiepiſcopo.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu.

Google

ERRATA			CORRIGE.
Pag.	lin.		
3	21	Muretius	Moretus
58	23	Ceinſio	Ceniſio
60	24	vero ille	vero hic
77	24	habebat	haberet
93	2	Marchiones Somæ	Dominos Somæ
113	1	XXV. M. (1)	XXV. M. (1) attulit
134	9	Eporodiæ	Eporediæ
135	28	diſputabo, oſtendam	diſputavi, oſtendi
148	4	Comitatus	Civitatis
153	13	& varias	ob varias
187	9	externas &c. ſedes	externas ſedes

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.

DE NOMINE ET CONDITORE URBIS NOVARIÆ.

PLerique noſtrarum ætatum Geographi Novariæ Urbis nomen a fluvio, quo alluitur, ducunt: fluvio *Agoniæ* eſt nomen, vulgo *l'Agogna;* ſed antiquitus Novariam fuiſſe appellatum contendunt. Hanc in rem ſtrictim afferam nonnulla, atque hæc expendam I. Qui potiſſimum Scriptores Urbem a fluvio cognomine dictam putent: II. Quid ſit Tabula Peutingeriana, cujus illi fidunt auctoritati: III. Quæ huic Tabulæ fides habenda ſit: IV. Agoniæ fluvio nomen a populis Agonibus fuit: V. Notitia horum populorum: VI. Unde Urbi nomen Novariæ inditum: VII. Quis Urbis Conditor.

I. Primus omnium recentium Geographorum Cluverius de Novariæ Urbis nomine novam ſententiam extulit; namque hæc ante illum opinio non invaluerat: *Novaria... haud dubie* (1), inquit, *ab flumine ejuſdem nominis, quod tabula itineraria refert,*

(1) Phil. Cluverius Ital. Antiq. l. 1. c. 23.

ſert, *nunc autem vocatur vulgo* la Gogna: & alio loco: *Inter Ticinum* (1) *& Seſſiten amnes oppidum Novariam flumen præfluit ad Padum tendens*, *quod vulgo nunc* la Gogna *vocatur*. *Id ſine controverſia eſt Novaria flumen tabulæ itinerariæ*. Poſt illum Brietius (2) *Novaria a fl. cognomine dicta municipium:* paulo autem poſt memorans flumina: *Novaria*, ait, *hodie* la Gogna.. Chriſtoph. Cellarius *inter* (3) *Ticinum & Seſſiten parvus amnis Novaria in Tabula Theodoſiana dictus*, *a quo Urbs Novaria*, *quam præterlabitur*, *nomen habet*. Joannes Buno in notis ad Introductionem Cluverii (4) *Novaria a flumine nomen habet*. Denique Jo. Gaſpar Beretta in Diſſertatione (5) de Tabula Chorographica Italiæ medii ævi: *Novaria a proximo amne*, (*nunc Agonia* Gogna) *Novaria olim*, *nomine ſumpto: quod hactenus Scriptores ſui ignorarunt non obſervata Tabula Theodoſiana Peutingeri*, *ubi amnis Novaria ſegm.* 2: *& ideo nomina ſabuloſa Nova Ara: Lybica: Leonina*.

Anteaquam progredior, non videtur Berettæ parcendum, quod confidentius affirmat de Novarienſibus Scriptoribus. Ille ſuam Diſſertationem conſcripſit, atque edidit anno 1720.: at Lazarus Auguſtinus Cotta (6) Auctor Novarienſis anno 1699. typis

(1) Phil, Cluv. It. Ant. l. 1. c. 36.
(2) Brietius Parallella Geograph. l. 5. c. 2. §. 2. n. 9.
(3) Cellarius Notit. Orb. Ant. l. 2. c. 9. ſect. 1. n. 98.
(4) Buno Introd. Cluver. l. 3. c. 25. num. 1. not. E. Edit. Amſtel. 1729.
(5) Anonymi Diſs. Chorogr. initio Tom. x. Script. Rer. It.
(6) Maccanei Chorogr. Lacus Verbani cum notis Trugi Catalaunii (hoc ſe nomine occuluit Cotta) l. 2. c. 8. n. 127.

typis jam vulgaverat Chorographiam Verbani Lacus a ſe plurimum illuſtratam, in eaque dixerat, *Aquonia*, *Italis Agogna*, *priſcis Novaria*, *ut ex Cluverio... ab eo Novariam dictam quis colliget ex Cluverio in Ital. Antiq. to.* 1. *p.* 409. Hæc Cottæ lucubratio non ignota erat Berettæ, qui eam crebro memorat; quid igitur Novarienſes Scriptores inſcientiæ inſimularet, in re præſertim haud ita multum recondita? Hi omnes, & recentiores plerique, qui geographicas antiquarum ætatum tabulas compegere, in Peutingerianæ Tabulæ ſententiam iere.

II. Ita vocatur vetus Romani Imperii Tabula, quam invenit Conradus Celtes Protuccius; deinde autem ex illuſtri Conradi Peutingeri Auguſtani Bibliotheca in lucem prodiit ſtudio, atque opera Marci Velſeri, qui eam explicavit. Diverſis donata eſt nominibus; namque *Tabulam Provincialem*, *Itinerariam militarem*, *Theodoſianam*, *Peutingerianam*, *Itinerarium Auguſtanum* appellant. *Chriſtianum Auctorem fuiſſe res clamat*, inquit Petrus Bertius (1); Joannes autem Muretius (2) hæc adjungit: *Addimus Auctorem Chriſtianum fuiſſe: id vero ex S. Petri nomine*, *&* *iis*, *quæ de Moyſe*, *Iſraeliticiſque tradit*, *intelligi*. Videtur confecta Theodoſii circiter ætatem, ejuſque rei conjectura ducitur ex eo, quod deſcriptæ Provinciæ ſunt, quæ ſolum poſt Theodoſium ſubductæ fuere Romano Imperio. Quis fuerit auctor, plane ignoramus; ſed Itinerarium Antonini, atque hæc tabula cum in pleriſque conſentiant,

(1) Bertius in Præfat. ad Theatr. Coſmogr. vet.
(2) Moretus initio ipſius Chartæ.

tiant, eſt ſuſpicio aut unum utriuſque auctorem fuiſſe, aut, ſi diverſi fuere, auctores eadem tamen ætate floruiſſe. Cluverius opinatur (1) ab Ammiano Marcellino eſſe diſſignatam, namque tabulæ nomina ac loca locis nominibuſq. reſpondent, quæ in Ammiani Hiſtoria legimus. Sed quicumque demum eam deſcripſerit, is veriſimilius longe antiquiores tabulas novis auxit locorum nominibus.

Compertum eſt enim priſcis ætatibus hujuſmodi tabulas in uſu fuiſſe. Anaximander Thaletis diſcipulus, qui Serv. Tullii Romanorum Regis ætate vixit, videtur primus Geographiam explicaſſe; hunc cum Homero, qui eam attigit, & nonnullis aliis nominat Strabo (2): *Qui enim primi Geographiam attingere auſi ſunt, Philoſophi ii fuere: Homerum dico, Anaximandrum Milleſium, ejuſque Civem Hecatæum... item Democritum, Eudoxum, Dicæarchum, Ephorum: nec non iis ætate poſteriores Eratoſthenem, Polybium, Poſidoniumque.* Alio autem loco (3): *Quorum duos poſt Homerum primos Eratoſthenes ait fuiſſe Anaximandrum Thaletis diſcipulum, atque Civem, & Hecatæum Milleſium, quorum ille primus Geographicam ediderit tabulam.* Socratis ætate Athenis erat Tabula Græciæ, & memorat Ælianus (4), cum Socrates Alcibiadem divitias ſuas jactantem provocaret, uti indigitaret, tandem in tabula, quo ejus fundi poſſeſſioneſque loco eſſent, atque ille reſponderet ea non deſſignari in tabulis, *quid igitur*, inquit Socrates, *his tibi*

(1) Cluverius Germ. Ant. l. 2. c. 5.
(2) Strabo Geogr. l. 1. init. (3) Id. ib. p. 6.
(4) Ælianus l. 3. c. 28.

bi divitiis, quarum nullam Geographus rationem duxit, tantopere places?

Neque ſingularum tantum regionum, ſed orbis univerſi etiam tabulæ deſcriptæ ſunt. Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus moriens teſtamento juſſit orbis tum cogniti tabulam confici, locarique in Licæo, in quo Philoſophiam tradiderat (1). Similes huic Romæ fuiſſe Auguſti ætate legimus & in Propertio (2):

Cogor & e tabula pictos ediſcere mundos,
Qualis & hæc docti ſit poſitura Dei.

Et in Vitruvio: *Hæc ſic fieri teſtimonio poſſunt eſſe capita fluminum, quæ orbe terrarum chorographiis picta, itemque ſcripta, plurima maximaque inveniuntur egreſſa ab ſeptemtrione* (3). Sed longe maximum, & urbe Roma terrarum Principe dignum opus extitit, cum Senatus opera Julii Cæſaris præſcripſit Zenodoto, Theodoto, & Polyclito, uti totum terrarum orbem metirentur, atque deſcriberent. Quod cœptum Julio Cæſare, & M. Antonio Coſs., fuit annis XXXII. uno amplius menſe, & diebus decem confectum, tabulamque Auguſtus, veluti ſpectaculum fruendum oculis, Populo Romano exhibuit (4). Neque illud prætereundum provinciales tabulas jam tum militares homines, uti nunc, habuiſſe præſcriptas, ut regionum, in quibus adminiſtrandum erat bellum, imaginem haberent adjutricem conſiliorum, ac ducem.

(1) Diogenes Laertius in ejus vita l. 5.
(2) Propertius l. 4. eleg. 3.
(3) Vitruvius l. 8. c. 2.
(4) Æthicus Coſmographiæ initio.

cem. *Primum itineraria*, inquit (1) Vegetius, *omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta, ita ut locorum intervalla non ſolum paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat, compendia, diverticula, montes, flumina ad fidem deſcripta conſideret, uſque eo ut ſolertiores duces itineraria Provinciarum, in quibus neceſſitas gerebatur, non tantum adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolum conſilio mentis, verum aſpectu oculorum viam profecturis eligerent.*

Cum igitur geographicarum tabularum uſus uſque adeo Romæ percrebuiſſet, prudenter videmur, poſſe exiſtimare Peutingerianam, quæ dimenſionem quandam, itinerariumque exhibet Romani Imperii, eſſe ex illis ductam; præcipue vero dimenſionem illam ſub Auguſto perfectam ſubtexuiſſe telam & Itinerario Antonini, & huic tabulæ, in qua videmus diligentiſſime militares omnes vias ad extrema uſque imperii late fuſas ab Urbe Roma cum milliarium numero: ſed neque propterea diligens dici poteſt Provinciarum locorumque deſcriptio. Sinopſin melius appellaris Romani Imperii, quod uno continenti ductu, ac propemodum tænia, in longitudinem explicatur; quo fit, ut tabula ipſa in abnormem longitudinem procurrat, ſegmentaque octo exhibeat.

III. Ejuſmodi Peutingeriana eſt tabula, cujus fide freti Beretta, aliique pronunciant ab præterlabente flumine Urbem Novariæ nomen eſſe mutuatam. Nego tamen ejus auctoritati hac in re pluſ-

culum

(1) Vegetius de Re Milit. l. 3. c. 6.

culum eſſe tribuendum; infinita enim paſſim occurrunt, quæ auctoris ejus diligentiam, ſtudiumque deſiderant. Velſerus primus ejus fuit interpres: is illam quanti faciat, e re erit audire: *Auctorem* (hujus tabulæ) *Geographiæ imperitum, mathematicas litteras in univerſum non doctum fuiſſe neceſſario fatendum eſt: res etiam loquitur, cum neque provinciarum circumſcriptiones & figuras, neque littorum extremitates, neque fluviorum decurſus, neque locorum intervalla geographicis canonibus reſpondeant. Inde fit ut non temere ſuſpicer hæc in turbido caſtrenſi potius, quam erudito ſcholarum pulvere nata, manu metatoris alicujus deſcripta eſſe* (1). Alibi vero ubi de Sequana flumine, circumjectiſque locis mire cum aliis remotioribus perturbatis; *quæ*, inquit, *cum conſidero, auctorem noſtrum culpa difficulter libero, niſi ad ruditatem, qua per omnem ſane deſcriptionem uſus, confugiamus*... tum denique; *ſed fortaſſis ſimplicius, & rectius facturi ſumus, ſi auctoris errorem fateamur*. Hoc eſt Velſeri de Peutingeriana tabula judicium, hoc Bergerii (2), hoc omnium, qui eam non dicam diligentius, ſed curſim modo percurrant.

Atque

(1) Velſerus apud Bergerium infra citandum.

(2) N'y a point de doute... qu'il ne ſe trouve en icelle (*dans la Carte de Peutinger*) des fautes les plus grandes, les plus manifeſtes, & les plus inſuportables, que l'on ait jamais veu en ouvrages quelconque... davantage, le terrain des rivages de la mer ſoit Oceane ou Mediterranée, ny la largeur naturelle de leurs golfes ou promontoires n'ont rien es figure de la dite Carte... les grands fleuves qui ont leur cours du midy au ſeptentrion ſur la terre, ſont tournez de l'orient en

Atque ut de noſtris regionibus, deque Inſubria, quæ auctoris eſſet inſcientia, intelligamus, hoc ſatis ſit dicere, perturbata eſſe omnia, indigeſta, diſquesipata, ut ait neſcio quis. Inſubres Eporediam uſque tranſportantur: Ticinus fluvius ab infera parte in Verbanum Lacum influit, nuſquam effluit: Papia, quæ Mediolano eſt ad meridiem, ad occidentem traducitur: Atheſis, Medoacus, Liquentia deducuntur in Padum, cum in mare ferantur; Cleuſis (*Chieſe fl.*) non in Ollium, ſed in Padum decurrit, ſi hunc Auctorem conſulas: contra vero Ollius, Mincius, Abdua, fluvii Padi incolæ, ne memorantur quidem. Videas fluvium Agoniam, ſive Novariam, ſine Urbe, Comum ſine Lacu, pleraque ubique ſuſdeque verſa: quamobrem Bergerius recte exiſtimat Peutingerianam tabulam non aliud eſſe, niſi imaginem quamdam viarum omnium militarium, quas Romani conſtruxerant ad extremas uſque Provincias Imperii, ut uno obtutu, ac tempore imperii longitudinem quoquo modo expreſſam intuentes intelligerent, quæ eorum eſſet animi, mentiſque magnitudo, qui ab oriente ad occidentem, a meridie ad ſeptentrionem continenti ductu, commercioque viarum militarium Orbem terrarum Urbi conjunxiſſent, ita ut ab Urbe ad extrema ultima, itinera munita eſſent, decurſuque facillima. Eadem vero ante Bergerium ſententia fuerat Bertii viri geographica arte præſtan-

en l'occident... Bref plus vous eloignez de la Ville de Rome, qui ſe doit prendre pour centre de la dite Carte... & plus vous trouvez de confuſion & de melange &c. Berger Hiſt. des grands Chemins l.3. p. 344. Bruxelles 1728.

ſtantiſſimi: *Planarum*(1) *tabularum duplex ratio fuit; una rudior ad itinerum tantum directionem comparata, qualis eſt Theodoſiana, ſeu Peutingeriana, quam nos damus: altera accuratior facta ad conſtitutionem cæleſtem, quæ ſferæ orbem univerſum repræſentantis poſitionem, quoad ejus fieri poteſt, in plano refert*. Nemo igitur admirabitur, ſi in hac de Novariæ nominis quæſtione, nullam cenſeo habendam eſſe rationem tabulæ Peutingerianæ, neque eſſe fidendum eorum Scriptorum auctoritati, qui tabulæ hujuſce Auctorem adhibent teſtem neque ſane doctum, neque incorruptum, ut ejus fidei tuto haberi poſſit ratio.

IV. Potuit tamen fortaſſe poſterioribus ſæculis ab Urbe, quam perluit, fluviolo nomen adhæreſcere vel ignoratione veri nominis, vel obſcuritate; neque dubito, ſi quis curioſius exploret Hiſtorias, repertum iri ejuſmodi humilium fluminum exempla, quibus nomen fuerit tributum oppidorum, ad quæ pertinent. Neque profecto mirum videretur, ſi hunc fiuviolum *Seveſum*, qui Mediolanum fertur, quiſquam ex eo hominum numero, qui orbem peragrant, & itineraria temere, perque ſaturam conficiunt, Mediolani nomine deſſignaret, aut memoriæ imbecillitati ſerviens ob peregrinitatem veri nominis, aut ut obſcurum cætera amnem, & antiquitati ignotum Urbis, quam præterlabitur, præclaro illuſtraret vocabulo. Id certe minus aliquid eſſet quam quod in Arturo Duckio (1) legimus, Galeatiam Familiam Mediolano eſſe

(1) Bertius Præfatione in Theatrum Coſmograph. veteris.
(2) Arthurus Duck De uſu & authoritate Juris Civilis Romanorum in Dominiis Principum Chriſtianorum pag. 141. Edit. Neap. 1719.

eſſe dominatam, turpi atque impatibili errore nonnullorum ex Vicecomitum Principibus nomine detorto ad univerſam dominatricem domum. At vero quemadmodum Duckii doctrina, & auctoritas potuit aliquibus fortaſſe perſuadere in extrema Germania, eorum, qui in Inſubria dominati ſunt, cognomen revera Galeatiorum, non Vicecomitum fuiſſe; ita & ex illo peregrini hominis itinerario poſſet Geographorum aliquis poſt nonnullas ætates contendere, Seveſi fluvii legitimum nomen eſſe Mediolanum, Urbemque adeo a ſuo flumine nomen eſſe ſortitam.

Quamquam plane ſimile exemplum præſto eſt in hac ipſa Inſubria. Lambrum fluvium nemo non Lambrum, aut ut minimum *Ambrum* vocat; Lambri certe nomen plus ſemel legitur in Plinio; attamen in Itinerario antiquo Hieroſolymitano *Fluvius Frigidus* appellatur: cur, quis divinet? nemo certe non ſuſpicetur aut veri nominis ignoratione, aut Scriptoris arbitrio novum nomen inditum. Sed, quod huc magis pertinet, Cluverius obſervat eundem ejus ætate appellatum fuiſſe diverſis nominibus deductis ab oppidis, quæ percurrit (1): *Hodie ab appoſitis oppidis vocatur Fiume di Monza & fiume di Merignano*. Porro eadem de cauſa Theodoſianis illis & paulo antiquioribus temporibus, cum Barbari in Italiam incurrerent, potuit Urbis Novariæ nomen apponi adlabenti tum fere ſub urbis muris fluviolo, cui Agoniæ eſt, videturq. ſemper fuiſſe nomen, cum incolæ vallium, unde effluit, *Agones* antiquitus appellarentur, qui Novarienſium ſunt fere extremi ſeptemtrionem verſus. Sed antequam

(1) Cluverius Ital. Antiq. l. 1. c. 24 & 36.

quam rem plane conficiam de Agonibus dicendum eſt neceſſario.

V. Hi nobis ignoti eſſent populi, niſi a Polybio memorarentur. Is de Gallorum Ciſalpinorum bello contra Romanos dicere inſtituens, prius de regione ipſa tradit, quæ qualiſve ſit, quoq. modo ad reliquam Italiam ſe habeat; tum deſſignata brevi Italia, atque hac parte Ciſalpinæ Galliæ, cui Inſubriæ olim, nunc Langobardiæ eſt nomen, ſic ejus deſcribit fines ſeptemtrioni obverſos: *In* (1) *utroque Alpium latere, & quod Rhodanum reſpicit, & quod expoſitos modo campos, inhabitant terrenos colles ab illa quidem parte, quæ Rhodano, & ſeptemtrionibus eſt obverſa, Galli, quos tranſalpinos vocant; ab altera vero Tauriſci, Agones, & aliæ gentes barbaræ.*

Exhibet Hiſtoricus utrumque & ſeptentrionale, & Meridionale latus Alpium, quæ hic Italiam terminant: primum, quod ad Rhodani oſtia pertingit, habent Galli, quo nomine etiam veniunt Helvetii, & antiqui Populi Seduni, Veragri &c. Latus autem meridionale, quod ad Inſubriam pertinet, incolunt Tauriſci, Agones, aliæq. gentes, videlicet Lepontii, Mæſiates, Breuni &c., qui generatim Tauriſci dici poſſunt: omnes enim alpinos & inalpinos populos Græci, & Romani Tauriſcos, & Taurinos etiam dixere. Sed de horum ſedibus alias fortaſſe dicam, de quibus conſulenda Tabula Isleana Italiæ antiquæ apud Cluverium Introductione ad Geographiam Editionis, quam ſuperius innui; Magini tabula XVI.; Brietii Italia &c.

Ha-

(1) Polybius l. 2.

Habebant igitur Agones loca Valleſque finitimas montibus, in quibus Agoniæ fluvii eſt fons. Quare errat Ferrarius Baudrandi, cum alio eos loco ſtatuit, & affirmat a Polybio poni Agones, & poſt hos Bojos, deinde vero Senones. Male memoratur Polybius; en ejus verba (1) *Ultra Padum circa Apenninum Ananes* (*ανανες*, male Caſaubonus vertit *anianes*) *deinde Boii*, *poſt iſtos verſus Adriam Aegones*, *poſtremi omnium ad Mare Senones:* ita Caſaubonus; at Perottus in ſua interpretatione non *Aegones*, ſed *Aeganes* obtrudit: perperam uterque; *Lingones* legi debet; & Boios, Lingones, tum Senones invenies in tabulis Italiæ veteris, nuſpiam fortaſſe Aegones; itaque diligentius Tuillerius interpres Polybii Folardiani *Lingones* ſubjecit (2). Corrigendus igitur Baudrandus, neque minus Gaudentius Merula (3), qui horum populorum ſitum, atque ordinem incredibiliter perturbat.

Sed alii fuere Lingones, aut ſi placet Aegones, alii vero Agones, quorum propria fuit ſedes Verbanum inter Lacum, & Cuſium, ſeu Julianum, ubi Agoniæ fluminis ſunt fontes, tametſi etiam incolebant Athiſonis (*l' Atós f.*) vallem. Idem Merula: *Eorum partem in Agones*, *qui Novarienſium extremi ad ſeptemtrionem*, *vallem*, *per quam Athiſo dilabitur*, *incolebant* (4). Hi nomen videntur habuiſſe ab *Habitaculo*. *Gonata* enim, quæ vox ducta eſt ab etymo hebræo, plerique referunt ad habitaculum, & con-

(1) Polyb. ibid.
(2) Tuillerius in Polyb. Folard. t. 3. l. 2. c. 3. ad fin.
(3) Gaud. Merula Galliæ Ciſalp. Antiq. l. 2. c. 1.
(4) Id. in Terentiano regiſtro F.

contubernium. Eſt etiam *Terminus* apud Thalmudicos, Chaldæos, & Phoenicios (1); atque hinc ſuſpicio cooritur Agones eſſe ex Aboriginibus, ſeu primis Incolis regionis, qui ex Aſia pervenerint aliquot ætates poſt Babilonicam perturbationem linguarum cum aliis, quos appoſita deinde nomina, plerumque a locorum qualitate, diſtinxere in diverſos populos. His explicatis illuc jam redeo ad Agoniæ nomen.

Ejus antiquitatem præter ea, quæ ſuperius attuli multa alia confirmant. Etenim ſi fluvii nomen *Novaria* fuiſſet, cur, cum ex latino ſermo noſter ſenſim ad Italicum devenit, cur inquam non idem, aut ſimile ſaltem fluvio nomen manſit? Attamen nunquam in privatis ſeu publicis tabulis Novariæ fluminis nomen legimus, contra vero ubique occurrit nomen Agoniæ, quod latino ſermone evaneſcente adhuc non deſſuevit, ſed in italicum ſimillimum migravit *Agogna*. At enim quì veniret in mentem *Agoniam* ex Novaria educere ſeu dominante, ſeu occidente latina lingua? Videtur itaque Agoniæ nomen proprium fuiſſe, acceſſiſſe vero etiam aliud Novariæ decurſu temporum aut errore, aut vulgari quodam uſu, quo flumina aliquando conſuevimus, tametſi proprium habeant, ab Urbis nomine deſſignare. Accedit, quod oppida omnino antiquiſſima ab Agonia nominantur, uti Agoniæ Caſtrum in Laumellina (*Caſtel di Gogna*) ubi amnis decurrit ad Padum, & oppidum Vugoniæ, quod Phil. Ferrarius cum Schudo latine *Voconiam* dicunt, & pertinuiſſe

(1) V. Bochart in Chanaan l. 2. c. 11.

nuiſſe ad regionem Agonum. Hoc poſtremum plane ut ajunt, ſe habet; nego tamen *Voconiam* verum oppidi nomen eſſe; neque aſſentior Baſilicapetro (1), diligentiſſimo cætera Scriptori, deque Novarienſi Hiſtoria, non ſolum Eccleſia, quam Epiſcopus pietate & doctrina excellenti exornavit, optime merito, qui exiſtimat *Voconiam* a Vocontiis appellatam. Potuit ſane a Vocontiis nomen effluere, quando hi etiam tranſalpini in Italiam redundarunt: alia tamen eſt *Voconia*, alia vero *Vugonia*. Voconiæ nomen manet in *Voconio* (*Vocogno*) Pago Vallis Vegetiæ: *Vugonia* vero, aut ego plurimum fallor, aut eſt *Vicus Agoniæ* decurtato vocabulo, atque *i* in *u* tranſmutato, uti paſſim in æqualibus nominibus legimus, & videmus pronunciari diverſimode in his, & ſimilibus Pagorum nominibus ab incolis, qui *Vicum Boldoni*, *Villam Modroni*, & hunc ipſum Vicum Agoniæ promiſcue pronunciant *Viboldone*, & *Vuboldone*, *Vimodrone*, & *Vumodrone*, *Vugogna*, & *Vigogna*; ſed ut hæc omittamus: nunquam profecto, niſi antiquiſſimum Agoniæ fluvii nomen fuiſſet, illa oppida quorum antiquitatem Romanæ Inſcriptiones & antiquiſſimarum ætatum viſenda monumenta teſtantur, ab Agonia nomen habuiſſent.

Poſtremo tandem, quando etiam hæc omnia non valerent, graviſſimum meo judicio argumentum alterum, plane cauſam obtinet. Etenim, aut Agones ab fluvio nomen ſortiti ſunt; aut ipſi, quod videtur veriſimilius, fluvio nomen tribuerunt: ſi poſtremum, igitur Agoniæ nomen antiquitus valuit; neque

(1) A Baſilicapetri Car. Novaria Sacra p. 205.

neque minus ſi primum; namque poſt Polybii ætatem Agonum nomen oblitteratum fuit, neque illi uſquam amplius memorantur: tranſierant enim cum aliis finitimis populis in Nomen Inſubrum, unamque una ſimul gentem conflarant. Igitur fluvii nomen antiquiſſimum eſt Agonia; nec niſi improprie poſtremis ætatibus potuit nomen ab urbe habere.

VI. Cum igitur ſuum fluvio proprium nomen *Agonia* fuerit ſemper; proprium, neq. a fluvio partum debetur Urbi *Novariæ*. Id unde deductum, expedio. Novarienſium eſt hæc Scriptorum opinio, Urbem primitus *Ariam*, tum, quod fuiſſet refecta a Vertacomacoris, uti tradit Plinius (1), *Novam Ariam*, atque adeo *Novariam* dictam. Huic favet opinioni Brietius uſque eo, ut exiſtimet id a Plinio etiam innui (2): *Novaria... Municipium teſte Tacito: ſic dictam volunt, quaſi Novam Aram... Innuere videtur Plinius ſic dictam quaſi Novam Ariam.* Quo id loco Plinius innuat, minime quidem hactenus licuit expiſcari; temere tamen viderer facere, niſi haberem fidem tanto, tantæque diligentiæ, ac doctrinæ viro. Novæ Ariæ vocabulum admittunt Ortelius, & Car. Stephanus Lexicographi (3), atque ipſa Catonis fragmenta, de quibus ſtatim dicam. Quamquam non magnopere egemus Scriptorum auctoritate in re comperta: dummodo enim ad Novariæ nomen oculos referamus, intelligimus ſubito no-

(1) Plinius Hiſt. l. 3. c. 17.
(2) Brietius Parall. Geogr. t. 3. p. 550.
(3) Ortelius Theſaur. Geogr. Art. *Aria:* Car. Stephanus Dict. Hiſt. Geogr. Art. *Aria Aſiæ Mons*.

nomen eſſe compoſitum non ſecus ac Noviomagum, Noviodunum, Novocomum.

Cur vero Ariæ nomen urbi tribueretur, obſcura plane eſt quæſtio. Novarienſes vocabulum ab Ægypto importatum reſpondere putant *Leoninæ*. Aſiaticum certe eſt nomen ſive ab Ægypto, ſive aliunde devenerit: nam, ſi divinando licet aliquid proferre, potius ex Media puto ad nos delatum; quo caſu poſtea videro. Medos Aſiæ populos in Aſſyria, aut Aſſyriæ finitimos cùm omnes fere antiqui Geographi, & Hiſtorici, tum Herodotus præcipue tradit *Arios* appellatos olim fuiſſe. Ubi enim cenſum habet nationum ejus exercitus, quo Xerſes Græciæ bellum intulit, *Medi*, inquit, *eodem ordine* (1) *inſtructi militabant ... habebant autem ducem Tigranem Achæmenidem. Hi quondam ab omnibus vocabantur Arii.* Hinc Mediæ etiam nomen Ariæ fuit, cujus corographiam exhibet Strabo libro undecimo, Aſiæ tabula nona, ubi urbem etiam nomine Ariam videmus. Quando, ut dixi; nonniſi divinando verſari poſſumus in re tam obſcura, quid tandem prohibet ſuſpicari inde profectum Ariæ nomen? An plus aliquid momenti & ponderis ii afferunt, qui Etymologias nominum, antiquaſque Urbium origines explicant?

Quæ regio erat *Aria* Grecis, *Hara* eſt Hebræis; *Har* autem Hebræis cum id ipſum ſit, quod Arabibus *Gebal*, nimirum *Mons* & *montana regio*, Bochardus (2) arbitratur Haræ nomine proprie ſignifi-

cari

(1) Herodotus l. 7.
(2) Bochardus in Phaleg. l. 3. c. 14.

cari Mediæ partem obverſam ſeptemtrionibus. Id porro plurimum facit ad Novarienſis Agri ſitum. Grumis enim excellentibus Urbs inſidet, ſubjacetque collibus, qui a ſeptemtrione ſuccreſcunt, adjunguntur que montibus, quorum plenæ ſunt valles incolis & armentis. Hæc Novarienſis agri montana pars eſt ampliſſima, & præſtans uſque adeo, ut quod de Media Polybius (1) de Novariæ regione prædicari poſſit *amplitudine ſpatii & altitudine montium, quibus cingitur*, cæteris excellere, *varias ac plures clauſuras habere, vallibus & quibuſdam locis campeſtribus ac planis diſtingui*: neque vero illa minus conveniunt *frumenti & pecoris copia* præſtare. Quod vero Hebræi *Haram non Ariam* dicerent, ut Paralipomenon 1. 5. 26., ubi neglecta aſpiratione S. Hieronymus *Aram* legit, explicat, cur urbem eamdem nonnulli putant Novariam dictam, quaſi *Novam Ariam*, & vero etiam *Novam Aram*. Has de nominis origine conjecturas interſerimus; quiſque, ut libuerit, cenſeat.

VII. Illud ex Novarienſium traditione eſt reliquum, Ariæ nomen Urbi fuiſſe impoſitum ab Hercule conditore ſuo: de Hercule autem conditore, ſententiam ſuam Novarienſes tuentur his rationibus: 1. Niſi aliud obſit, unicuique genti natales ſuos referenti credi par eſt: 2. Hæc eſt vetus memoria a Majoribus per omnes ætates de manu veluti in manus ad nos uſque tradita: 3. Novariæ Typus perpetuo exhibitus fuit Virginis in ſpeciem & formam Leoninæ pelle indutæ in Conditoris ſui memoriam,

(1) Polybius l. 5.

riam, qui hoc habitu repræſentatur: 4. Denique non ſolum jam a pluribus Geographorum, & Hiſtoricorum Italiæ *Urbs Herculis* appellatur, ſed in Catonis fragmentis hæc leguntur: *Novaria ante ab Herculis Ægyptii nomine Lybia, & a cognomine Aria, ægyptio vocabulo Leonina: ſed a Liguribus inſtaurata Novaria dicta eſt*. Ut ut autem hæc Catoniana fragmenta Annii Viterbienſis ſint, nemo tamen negat in Annio diligentiam, induſtriamque incredibilem fuiſſe ad expiſcandas omnes antiquitatis reliquias, & ad colligendam veriſimilius, quoad fieri poterat, priſcarum memoriam ætatum, ut auctores ſuos compingeret.

Hanc tamen Novariæ ab Hercule conditæ ſententiam fert (1) graviter Andr. Alciatus: *Fabulantur*, inquit, *plerique in his regionibus fuiſſe Herculem, conditamque ab eo urbem ægyptio vocabulo Ariam dictam, quæ a Liguribus inſtaurata ſumpſerit Novariæ nomen. Indigna Catone ſententia!*

Sed non erat, cur ira excandeſceret vir graviſſimus: aut enim Catonis exiſtimabat eam eſſe ſententiam, & minime indigna videtur appellanda: aut putabat falſo Catoni, cæteriſque priſcis Scriptoribus ea attribui, quæ ab Annio profecta fuerant, uti revera ſubdubitavit in Inſubriæ Inſcriptionibus; & multo maxime miror, quid ipſemet ibidem Noemum, ſeu Janum Etruſcorum Regem memorans ex Beroſo, hunc Scriptorem *graviſſimæ auctoritatis virum* appellarit, tametſi ex eadem Anniana officina prodierit. Neque hoc tantum, ſed ex

(1) Andr. Alciatus Hiſt. Patriæ l. 1. init.

ex Noe Tubalem, ex Tubale Subrem neſcio quem Alciatus comminiſcitur, *qui cum Tuſcorum manu trans Padum profectus, quo loco nunc Mediolanum eſt, oppidum condidit, quod & ſuo nomine, atque oraculi fidem ſecutus vocavit Inſubrium*. Qua in re tametſi dicat minime ſuam ſe fidem interponere, non parum tamen illos miratur, *qui quæcumque de Subre dicuntur ad aniles fabellas relegant; cum tamen hæc ſit in annalibus noſtris conſtans ſententia, & ab his, quæ alii prodiderunt, nihil diſſideat. Data eſt ſemper hæc antiquitati venia, ut primordia Urbium, quo auguſtiora ſint, in Deos etiam aperto figmento referant: cur non licuerit in re, quam veriſimillimam neget nemo, id facere?* Poterant igitur Novarienſes optare, ut quando Alciatus omnia liberalius cauſæ ſuæ tribuebat, minus ſevere in aliena ſtatueret. Quod ſi Catonis ſententiam reſpuit de Novaria ab Hercule condita, quòd incredibilem, ac falſum Herculis putaret adventum in Inſubriam, minime omnia circumſpexerat. Si enim aut Hercules nunquam extitiſſet, aut ejus adventum Novarienſes temere credidiſſent, poterant reprehendi: neutrum eſt tamen, idque erit poſtmodum quærendum; in præſenti enim dictum eſt ſatis.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE HERCULIS IN INSUBRIAM ADVENTU.

INfinita fabularum commenta, quæ Græci in Herculem congeſſere, uſque eo afflarunt omnem Herculis memoriam, ut fabuloſa videantur, quæcumque de illo ſunt tradita, neque irriſione vacet apud pleroſque, ſi qua Urbs, ſecuta veterum monumentorum fidem, opinionemque majorum, Hercule Conditore glorietur, aut tandiu gloriari ſe poſſe exiſtimet, quamdiu non alia certior origo ſe prodat.

Hoc præjudicio fortaſſe motus Andreas Alciatus fabulis adſcribit Herculis in Inſubriam adventum, atque, ut alio loco diximus, indignam vocat Catone ſententiam, Novariam fuiſſe ab Hercule conditam. Ne videar aut temere Alciato tanto viro adverſari, aut plus nimio Novarienſibus favere, qui Urbem ſuam ab Hercule conditam putant, ſtatui altius explorare notitiam Herculis perquam ſane impeditam, & non minus antiquitate temporum, quam Poetarum fabulis laborantem. Itaque prior hæc erit quæſtio de Hercule, & plurimum in Argivo, ſive Alcide Alcmenæ filio immorabimur: hinc enim in omnes alios, qui nomen fortiti ſunt Herculis, calumnia redundavit. Atque ut recte, atque ordine progrediatur quæſtio, placet rem totam

totam in hæc capita digerere. I. Hercules non eſt perſona confiſta. II. Ex Herculum multitudine orta obſcuritas. III. Et ex Græcorum levitate, qui Herculem Argivum fabulis exornarunt. IV. A Græcis latini condidicere fabulas, hinc magna Alcidis fama in omni Italia dìdita. V. Is tamen pene totus eſt conflatus ex Samſone, & Joſve. VI. An Hercules Argivus unquam in Italiam pervenerit, & monumenta reliquerit. VII. Monumenta Alcidis Italica etiam antiquis Scriptoribus viſa ſunt fabuloſa. VIII. Alcides non potuit in Italiam pervenire.

Hæc modo: altera erit diſputatio de Hercule, qui Italiam percurrerit, atque in Inſubriam etiam deſcenderit. Equidem ſentio certi omnino quidquam a me afferri non poſſe in tanta rerum, ac temporum obſcuritate. Attamen ſi Herculem aliquem, eumque multo antiquiorem Alcide huc deduxero non inanibus, aut levibus conjecturis fidens, videbor, & mihi ſatisfeciſſe, & Novarienſium opinionem ab omni arrogantiæ, levitatiſque nota vindicaſſe, qui traditum perpetuo a majoribus acceperunt Patriam ſuam conditam ab Hercule fuiſſe, eaque de re Ægyptiæ, Lybicæq. cognomen etiam antiquis ætatibus retuliſſe.

I. Confidentius dici puto a nonnullis, nuſquam Herculem extitiſſe, ſed, totus quantus eſt, perſonam confictam fuiſſe, ut ageret fabulam. Quis enim, modo ſapiens, neget eum aliquando extitiſſe, de quo maximo conſenſu omnes fere omnium ætatum, ac gentium Scriptores tradiderint, Phœnices, Ægyptii, Græci, Latini, Ethnici, Chriſtiani? Cujus

res

res geſtas non ſolum Poetæ fabulis ſuis exornarint, ſed Hiſtorici poeticis commentis exutas explicarint?

Equidem Hiſtoriæ, quæ hæc diligentius perſequebantur, interciderunt, obrutæque ſunt injuria temporum; eas tamen qui conſuluerunt, ſic tradunt, Virum fuiſſe præſtantiſſimæ virtutis, qui ſe Populorum, publicæque felicitatis vindicem præbuerit. Dionyſio Halicarnaſſeo videntur in manibus fuiſſe Hiſtorici Rerum ab Hercule geſtarum, atque illi non minima habenda eſt fides, & gratia, quod multa fabuloſa a veris ſecernens diligentius de Hercule ſcripſerit. Is igitur poſt repudiatas fabulas *Veriora, inquit, videntur, quæ de eo narrant, qui res ejus* (1) *geſtas hiſtorico ſtylo ſunt perſecuti, quod ſcilicet cum eſſet ætatis ſuæ Ducum præſtantiſſimus, magnaſque ductaret copias, quidquid terrarum Oceano cingitur, peragraverit tollens Tyrannos...., aut ſi qua Civitas immani aſſueta victui, aut hoſpitum nefariis gaudens cædibus: pro quibus legitima regna, moderataſque reſpublicas conſtituit.*

Eadem ferme habet Diodorus Siculus (2): *Hoc tantum conſtat illum corporis viribus præſtantiorem cæteris Orbem perambulaſſe delentem iniquos, & feras beſtias, ac monſtra domantem: invictus quoque abſque timore in libertatem homines vindicavit, quibus beneficiis honores Immortalium ei ſunt ab hominibus impenſi.* Apollodorus Athenienſis (3) Deorum evolvens origines & facta, ita de Hercule ſcribit, ut quamvis

(1) Dionyſ. Alicarn. Antiq. Rom. l.1. p.33. Ed.Lipſ.1691.
(2) Diodor. Sic. Biblioth. l. 5. c. 15.
(3) Apollod. l. 2. p. 55. & ſeqq. Ed. Rom. 1555.

vis pleraque, quæ Poetæ confinxerunt, afferat, ubique tamen in mortalium numero, & non fictam perſonam declaret Herculem fuiſſe. Non vacat exſcribere, quæ cæteri magni nominis Scriptores de Hercule tradidere; uti C. Nepos, Trogus, Plinius, Ammianus Marcellinus, Appianus præter Græcos reliquos.

Hoc tamen animadvertendum, plerumque Scriptores non admodum laboraſſe, ut ſcrutarentur, quis ille eſſet Hercules, quem memorabant. Cum enim, Hiſtorici præcipue, non de Hercule inſtituiſſent ſcribere, ſed occaſione oblata ejus vix nomen, memoriamque factorum attingerent, vulgari plerumque opinioni adhæſere. Cum autem Græcorum ſtudio ubique terrarum invaluiſſet Argivi Herculis fama, hunc unum præ cæteris appellarunt.

II. Præ cæteris inquam; nam plures fuiſſe Tullius docet profundius diſputans, & acrius perſcrutatus antiquitatem, atque arcana monumenta: *Plures*, inquit, (Hercules) *tradunt nobis ii, qui interiores ſcrutantur, & reconditas litteras* (1), & ſex numerat: duodecim, & multo plures nominant alii. Hoc omnino conſtat, Herculis nomen procedentibus ætatibus Viris quibuſcumque fortibus impoſitum fuiſſe. Clerchius putat tributum magnis etiam Mercatoribus (2), iiſque, qui aut novas Colonias deduxiſſent, aut ignotas regiones exploraſſent, aperuiſſentque: ſuſpicatur autem nomen Herculis duci a phœnicia voce *Harochel* (*Mercator*).

Longe

(1) Cic. l. 3. de Nat. Deor.
(2) Clerch. Biblioth. Univ. T. 2.

Longe aliter Macrobius pleraque more ſuo myſteriis obvolvens (1): *Heracles* (ita græce effertur Hercules) *quid aliud eſt, niſi Heras, ideſt Aeris Cles, ideſt gloria? quæ porro aeris gloria, niſi ſolis illuminatio?* Sed græcam originem negat Herodotus (2): *Cujus* (Herculis) *nomen non Ægyptii a Græcis acceperunt, ſed Græci potius ab Ægyptiis, & ii quidem Græci, qui hoc nomen filio Amphitryonis impoſuere: quod ita ſe habere cum multa mihi indicia ſunt, tum vero iſtud, quod hujus Herculis uterque parens Amphitryon, & Alcmena fuerunt ab Ægypto oriundi*. Huc accedit, quod, cum id nomen multi retulerint, ex omni autem numero Alcides ſit poſtremus, Herculis nomen eſſe debuerit non græcæ, ſed ejus gentis, quæ antiquiorem Herculem protulit.

III. Sed Græci mortalium vaniſſimi, ubi primitus a Phænicibus, & Ægyptiis notitia aliqua fuere adſperſi rerum originis, mox, quidquid denique fortiter aut præclare geſtum undique acceperant, detorſere ad ſuos ita temere, ut eorum arrogantiæ puduerit Græcos ipſos Scriptores. Certe Herodotus (3), & Diodorus (4) ſtatuerunt non diſſimulandum illuſtres Deos, atque Homines Ægyptiorum ſibi Græcos ſumpſiſſe: qua re puerilibus fabulis omnis temporum memoria, Hiſtoriarumq. fides eſt commaculata. Externorum enim populorum, quos ſuperbe *Barbaros* appellarunt, omniumq. temporum monumen-

(1) Macrob. Saturn. 1. 10. V. etiam Rhodiginum l. 6. c. 7.
(2) Herodot. l. 2. p. m. 47.
(3) Herod. ibid. p. 48.
(4) Diod. Sic. l. 1. p. 12. Ed. Baſil. 1578.

mentis, & factis conſarcinatis in rem ſuam, virorum præterea nomina emollientes ad grecam linguam ita tamen, ut eorum ſimilitudinem aliquam, ſignificationemque retinerent, mire ſingula deformarunt. Ita Semideos illos ſuos procuderunt, & fabuloſis imaginibus, poeticiſq. floſculis facta exornantes, ingenii & carminum illecebra exteras gentes rapuere in admirationem græcæ virtutis, famamque ſuam amplificarunt apud Latinos præſertim.

IV. Romani enim cum bello feroces initio obduruiſſent, atque omne doctrinarum genus, (ne has litterularum delicias dicam) ne noſſent quidem de nomine, poſtquam fundato ampliatoque Imperio militaris ferocitatis neceſſitas ceſſit, ſenſim animum adjecere ad excolendas litteras. Tum primum Græcia Magiſtra ſunt uſi, & Philoſophiam, Hiſtoriam, Eloquentiam, Poeſim ab Græcis hauſere. Itaque vulgo ab iis tradita, vulgo prædicarunt, jactatæque ſunt per omnem Italiam Græcorum fabulæ; decantatæ præterea propagatæque Græcarum Coloniarum vocibus, quæ in Italiam ſe late diffuderant. Immo vero eas nova etiam acceſſione conſequentes ætates ſic onerarunt, ut Hiſtoriæ veteris veritas plane obrueretur, & obvolveretur denſiſſimis tenebris: inde tamen incredibilis fama parta græcis Heroibus. Qui ex Latinis acrius & ſtudioſius res explorabant, iis non imponebatur, uti non Marco Tullio: quibus autem non multum aut otii erat, aut voluntatis, ut præ ſuis perſcrutari vellent aliena, ii nobis res ſcriptis tradiderunt ita, ut circumferebantur. Hæc juverit præmonuiſſe, & valebunt, cum Latinorum etiam Scriptorum ſe auctoritates offerent de Græ-

co

co Hercule, qui iiſdem artibus a Græcis conflatus prodiit.

V. Namque aut totum, aut magna ex parte confictum eſſe non dubito, & compactum Iſraelitarum Ducum ſpolio. Samſonis imaginem adumbratam eſſe in Hercule etiam S. Auguſtinus monuit: *Judex Samſon; qui cum mirabiliter* (1) *fortis eſſet, putatus eſt Hercules*. Scriptores agiographi veteres, recenteſque non pauci plane idem confirmant: & vero multa conſentiunt.

Angelus mortalis ſe habitu præbet uxori Manue, hoc abſente; eamque filium daturam ſpondet: omnia reduci viro aperit uxor: illo anxio ac ſolicito, mortali aſpectu intervenit cæleſtis Spiritus, & utrumque confirmat; quibus holocauſtum apparantibus, angelus volatu in flammas proripit repente ſe, & dilabitur: hæc ex Judicum libro (2). At vero, ut Poetæ Græci tradunt, Jupiter Alcmenam convenit Amphitryonis formam indutus, is dum aberat: Alcmena conjugi, poſtquam rediit, rem prodit: illo perturbato adeſt Jupiter, utrumque affatu recreat, claraque in luce avolat. Samſon adoleſcens Leonem præfocat, deque Patria a Philiſtæorum ſervitute liberanda cogitat: omnino eadem (3) Hercules patrat junior; leo nemeæus occiſus primum fuit ejus facinus, ſuoſque a pendendo Miniis tributo liberat, imo ipſoſmet Minias multat.

Aſini maxilla oblata Samſoni in Herculis Clavam migrat affini quodam ſono vocum Κορρη & χορμην

(*corre*

(1) S. Aug. de Civ. D. l. 18. c. 19.
(2) Judic. 14.
(3) Apollodorus Bibl. l. 2. p. 56. 57.

(*corre* & *chormne*), quarum prior maxillam, altera clavam ſignificat. Philiſtæis mandibula cæſis Samſon ſiti emoritur, atque inſperato ex maxillæ dente fons effluit: æque Herculis Leone proſtrato conficitur æſtu, ac ſiti; ſed cautes pede percuſſa inopinato rivum ſuppeditat. Centauri accenſis torribus percuſſi, & quoquo loco exagitati, Philiſtæos exhibent non diſſimiliter a Samſone vexatos. Poſtremo hic dolo interceptus, in hoſtium devenit manus, & in templum producitur, qui quietem ſimulans ad refovendas vires, repente exſuſcitans ſe concuſſis columnis ædificium ſubvertit, & multa Philiſtæorum millia una ſecum contumulat: at vero ille ab Ægyptiis captus, ad ſacrificium redimitus corona, veluti victima, deduci ſe patitur, atque ibi pauliſper cum conquieſſet (1), dum eum ante aram conſtituerant, reſumpto ſtans ſpiritu in circumſtantes irruit, omneſque interficit. Utrique æqualis indoles, maxima virium fortitudo, non minor animi mollicia nunquam non victa fœminarum illecebris.

Hæc a Samſone mutuata, ſed ad exornandum Herculem non pauca etiam contulit Joſve. Hercules ſubſidio Deorum accurrens adverſus Typhæum, & Gigantes idem videtur eſſe atq. Hebræus Ductor Dei bella gerens adverſus Og Regem immanis molis gigantem. Idem Og, & Tiphæus ſignificant, *uſtum* ſcilicet ſive *uſtulatum* (2). In Arimis Typhæus proſtra-

(1) Herodotus l. 2. p. 47. Apollodorus l. 2. p. 70.

(2) Terra Baſan Deuter. 3. 13. *Terra Gigantum* dicebatur: LX. Civitates munitas habebat; ibi Og erat regnum. Jam plures docti viri deprehenderunt errorem Virgilii, qui

ſtratus; in Aramæis, videlicet, in Syriacis Campis, Og cum Philiſtæis. Pluvia lapidea Joſve contra Amorrhæos quinque Reges depugnante, ad Herculem traducta eſt deprælientem contra Albiona, & Bergiona filios Neptuni. Stymphali paludes exſiccatæ montibus aquæ curſum inhibentibus, referunt Jordanem exareſcentem, in ſe ſeque ad fontes refluentem, ut Joſvis exercitus tuto trajiceret. Aræ duodecim diis erectæ poſt debellatos Gigantes, imago duodecim ſunt lapidum, quos devictis hoſtibus, & ſuperato Jordane Joſve ſtatui juſſit a duodecim Tribubus, monumentum veluti quoddam Immortali Deo. Plura præſto eſſe poſſent, uti Alcidis trinoctium (1) in ventre Cete Jonæ ſurreptum &c., ſed hæc ipſa, quæ attuli, ſatis declarant græci Herculis famam immani plagio, turpique mangonio conſutam fuiſſe ex ſacris Heroibus. Neque difficilius fortaſſe eſſet oſtendere, quam multa Scriptores Græci acceperint ex profanis antiquiſſimarum ætatum

---

qui cum Homerus Iliadis v. 7. 81. & ſeqq. attingat Tiphoeum percuſſum ab Jove *in Arimis* (Εἰν Ἀ'ριμοις); particula & nomine in unum compactis conflavit *Inarime*, quod alii poetæ ſecuti ſunt. Syria eſt etiam *Terra Aramæorum*, & *Terra Aram*, unde Syri græce dicti & *Arimoi*, & *Arimaioi*. V. Voſs. de Idolol. l. 1. c. 26.

(1) De trinoctio, ſeu triveſpero Hercule Lycophron initio Caſſandræ. De eodem S. Cyrillus Alex. in Jonam 11. *Veruntamen & illud ſciendum Græcos in fabulis a ſe compoſitis narrare Herculem Alcmenæ, & Jovis Filium devoratum quidem a Ceto, redditum tamen, ab inſito piſcis calore capite dumtaxat pilis denudato*. V. etiam Theophilactum in eundem locum.

tum viris, quos ſuis laudibus expoliarunt, ut exhiberent bene perſonatum Alcidem. Qui ſi vulgo impoſuerunt, emunctæ tamen naris auctores non fefellerunt; neque vero ex Græcis ipſis defuere, qui aperto animo rem, ut erat, faſſi ſunt. Hinc Diodorus (1): *Qui poſterior ex Alcmena fuit Hercules... propter nominis ſimilitudinem idem, qui prior, creditus: ideo & ſuperioris geſta huic fuerunt veri inſcitia adſcripta.*

VI. Quæ ſi evincunt græcum Herculem magnam partem eſſe confictum, jure ſuſpicio innaſcitur, an is unquam Italiam attigerit. Equidem ſentio huic opinioni favere C. Nepotis, Virgilii, Plinii, Græcorumq. auctoritatem; & multo maxime monumenta in Latio plurima ejus teſtata adventum; cujuſcemodi ſunt Saturni Ara ab Hercule erecta in Colle Quirinali, ubi ex ejus inſtituto quotannis Idibus Majis ſacrificia fiebant; ſpelunca Caci, atque Ara Jovi Inventori ab eodem poſita ad portam Trigeminam, ad quam græco ritu ex diſciplina Herculis ſacra habebantur; Ara Herculi ab Evandro conſtituta, deinde a Romanis ex temporaria in perpetuam commutata ad Forum Bojarium; Sacerdotia Pinariorum & Potitiorum ab ipſomet Alcide condita; aliaq. fere ſimilia.

Sed Latinis Græciſque Scriptoribus, ubi de Hercule aliquid narrant, quid ſit fidendum, præcavi ſuperius; quæ enim de illo commemorant, ea ex communi quadam, populariq. opinione tradunt. Quamquam neque Scriptores ex Latinis deſunt, qui eadem

illa

(1) Diod. Sic. l. 5. c. 15. l. 1. c. 2. p. 12.

illa in fabulis ponant. Unum modo Livium profero, ubi Gallorum in Italiam tranſcenſum perſequitur (1): *Alpes inde oppoſitæ erant, quas inſuperabiles viſas haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria ſit, niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas.*

Quoad Græcos autem Hiſtoricos, equidem eorum aliqui, tametſi perpauci, tradunt vera de Hercule, aut veriſimilia, aut certe non fabuloſa; in eo tamen aut inſcitia, uti Diodorus Siculus exiſtimavit, aut extollendæ Græciæ ſtudio falluntur, & fallunt, quod omnia ad unum græcum Herculem transferunt. Quare etiam merito vapulat Dionyſius Alicarnaſſæus, qui cum diligenter, nec ſine lumine critices nonnulla ex Herculis Hiſtoria explicet, vinci ſe tamen patriæ amore ſinat, & græcum faciat. Cujus tamen ſententia, & verba ſi ſtudioſius explorentur, ubi veriora ait velle ſe tradere de adventu Herculis, ſic loquitur, ut videatur generatim Herculem nominare, & neque græcum faciat, neque Græciam interponat: *Veriora*, *inquit*, (2) *videntur, quæ de eo narrant . . . quod ſcilicet cum eſſet ætatis ſuæ ducum præſtantiſſimus &c.* Utique in ejus comitatu adnumerantur Græci; ſed ita tamen, uti & aliarum regionum populi, cum magna multitudo omnium gentium Herculem ſequeretur, qui, *cum Græcis juxta verſatus eſt, ac Barbaris, cum maritimis & mediterraneis.*

VII. Sed ſive Græcum, ſive alium quemcumque Herculem Dionyſius deſſignarit, certe ubi ad ejus

(1) T. Livius l. 5.
(2) Dionyſ. l. 1.

ejus res geſtas in Italia, & ad Monumenta Alcidis devenit, non ea ex ſua ſententia ſe perſequi declarat, ſed uti popularis opinio ferebat: *Inter eos*, inquit, *qui bello domiti ſunt, ajunt fuiſſe & Cacum*. At vero cum de Herculis Boves abigentis adventu in Italiam eſt ſermo, quid ipſe ſentiat, oſtendit: *Fabula de ejus adventu ſic habet:* tum Caci nece, Evandri hoſpitio, & honoribus, quos Alcidi præſtitit, Potitiorum Sacris, Ara maxima commemoratis, ſubdit: *Et fabulis hæc quidem de illo ſunt prodita:* uſque adeo nihil Dionyſius, ut libet Græcus, Herculis ſui monumentis fidebat.

Neque vero iis plus aliquid tribuebat Strabo doctiſſimus alter Græcus Scriptor (1): *Atque hæc quidem de Romæ origine (ab Romulo & Remo) maxime credita eſt narratio: alia antiquior eſt, & fabuloſa, quæ Coloniam eam facit Arcadicam ab Evandro deductam: hujus uſum hoſpitio Herculem, cum Geryonis boves ageret, & Evandrum, qui e matre ſua Nicoſtrata (erat enim hæc vaticinandi perita) cognoviſſet Herculem confectis certaminibus fato in Deorum numerum relatum iri, id Herculi indicaſſe, Iacoque dicato ſacrificium ei Græcanicum feciſſe, quod eodem ritu hodieq. ſervatur*.

Cum igitur ipſimet græci Scriptores diligentiſſimi monumentorum Herculis græci, quæ Romæ habebantur, originem fabuloſam putent, nemo non admirabitur tantum adhuc fidei iis tribui ad confirmandum Alcidis adventum, ut & Theodorus Rychius

(1) Strab. l. 5. p. 253. Edit. Baſil. 1571.

chius (1) eorum fretus auctoritate tuto Alcmenæ filium Romam deduxerit, & aliqui confidentius affirmarint poſt monumenta ab Rychio producta, in dubium revocare non licere Græci Herculis in Italiam adventum. Magni ego Rychium ob eruditionem facio, bona tamen venia hæc non multi facio.

VIII. Sed Romanis utlibet monumentis pondus aliquod auctoritatis videretur tribuendum, momenta longe graviora illorum vim frangunt. Quotquot enim Herculem Argivum in Italiam perducunt, eum ex Hiſpaniis accerſunt; atqui Alcides Hiſpanias vidit nunquam. Primum minus neceſſe eſſet pluribus confirmare, cum paſſim Poetæ, aliiq. auctores tradant Herculem poſt occiſum Geryonem, qui in Hiſpaniis regnabat, abactoſque ejus boves in Gallias, indeque in Italiam deſcendiſſe. In Hiſpanias autem profectum primus Heſiodus cecinit, Græcorum, quos habemus, excepto Homero, Poetarum antiquiſſimus, ubi de Geryone interfecto ab Hercule (2) ait

Illum quidem armis exuit vis Herculana
Boves apud flexipedes circumflua in Erythia.

Apollodorus autem (3): *tum decimum illi certamen* (Euryſtheus) *ærumnamq. indixit*, *Geryonis boves ab Erythea abigendas. Sed Erythea non procul ab Oceano*

(1) Rychius de primis Italiæ colonis c. 8. V. ad calcem Stephani Byzantini de Urbibus Ed. Lugd. Bat. factæ ab Ortelio.

(2) Heſiod. in Theogonia p. 153. Ed. Lugd. Bat. 1613. emend. Dan. Heinſio.

(3) Apollod. l. 2. p. 67.

no inſula erat, quam nunc Gadiram vocant: Erythejam vocat (1) Strabo; erat autem ab Gadium unius ſtadii, ideſt paſſ. cxxv., freto divulſa. Nunc mari hauſtam dicit Mariana (2); Salazarius tamen (3) affirmat ſupereſſe, & nomen habere, (*Isla de Leon*). Ut ut eſt, eam ita deſcribit Plinius: *Ab eo latere, quo* (*Gadium Inſula*) *Hiſpaniam ſpectat, paſſibus fere C. altera inſula eſt longa III. M. P., M. lata, in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro, & Philiſtide Erythia ... Erythia dicta eſt, quoniam Tyrii aborigines eorum orti ab Erythræo mari ferebantur* (4). Strabo (5) obſervat Inſulam gramen habuiſſe ſiccius, quam ut alendis, ne dicam ſaginandis, bobus par eſſet: itaque ne boves quidem ibi commemorat, utique ovium armenta dumtaxat, quæ optime ſuccreſcebant. Hæc erat Inſula, in quam irrupiſſe Alcides fingitur, ut Geryonis Boves ſurriperet.

Quid porro ſi Geryon nunquam in Hiſpaniis regnant? id ſi erit, neque Alcides uſquam in Hiſpaniis fuerit, neque ex Hiſpaniis in Gallias, atque inde in Italiam pervenerit. Tamen ſic habet, ut in Epiro, non in Iberia regnarit Geryon; ejuſque rei notitiam Hecatæo debemus Hiſtorico, qui Ariſtoteli ſuppar fuit, cujus teſtimonio uſus Arrianus rem (6) aperuit: *Geryonem vero adverſus quem Hercules Argivus ab Euriſtheo miſſus, ut boves ejus abſtractas Myce-*

(1) Strab. l. 3. p. 116. (2) Mariana Hiſt. l. 1. p. 39.
(3) Salazar de Antiq. Gadit. l. 1. c. 4.
(4) Plin. l. 4. c. 22. (5) Strabo l. 3. pag. 178.
(6) Arrianus de R. G. Alexandri l. 2. p. 102. Ed. Lugd. Gryph. 1552.

Mycenas duceret, Hecatæus Hiſtoricus tradit nihil ad Iberiam pertinere, neque ad inſulam ullam Erythiam in oceano ſitam miſſum fuiſſe Herculem: ſed Geryonis regnum in continenti fuiſſe, circa Ambraciam & Amphilocos, indeque Herculem boves abegiſſe, exiſtimantem non eſſe hoc facinus inter labores ſuos contemnendum. Scio etiam his temporibus in ea regione pinguia paſcua eſſe, ibique opimas boves paſci.... Nec abſurdum præterea videtur illius provinciæ Regi Geryoni nomen fuiſſe; præſertim cum Hiſpanorum nemo ſit, qui id nomen ſciat Regibus ſuis fuiſſe, aut lætas in ea boves gigni.

Hæc porro cauſam evincunt; indeque factum, ut Epirotici boves magni haberentur, ut qui ejuſdem eſſent generis atque ii, quos occiſo Geryone Alcides abegerat. Larini autem appellabantur, ut cenſet Athæneus (1) *vel a Lerine Epiri pago, vel a Bubulco, cui Larinus fuit nomen*. Sed Svidas (2) cauſam nominis explicat clarius: *Larini boves, qui ſunt in Epiro ſic dicti a Larino Bubulco, qui boves Herculis furatus fuerat, ut ſcribit Lycus Rheginus, cum Hercules Geryonis boves abigebat*. Quam in rem aliquid etiam innuit Ariſtophanis Scholiaſtes, & Flor. Chriſtianus in notis ad ejuſdem Poetæ Comœdiam *Pax* verſu 924.

Quamobrem videbor non temere affirmaſſe Hiſpaniam, & Gades Herculi Argivo viſas nunquam fuiſſe. Quid, quod nec omnino veriſimile videtur Eu-

(1) Athæneus Deipnoſophiſt. l. 9. p. 376. Edit. Lugd. Batav. 1612.

(2) Svidas in voc. *Larini boves*.

Euriſtæum, cui Alcides inſerviebat, ea tempeſtate reſciſſe quidquam de Gaditanis, tum fere extra terrarum orbem poſitis? Certe Græci nunquam ſunt lata navigatione uſi; ex Herodoto autem intelligimus (1) illis incognitam fuiſſe Lybiam, omneque iter ad Oceanum, & ad Inſulam Erythiam, uſque dum Colæus, navis Samiæ Navarchus, in Ægyptum tendens caſu quodam abreptus trans Columnas Herculis, Tarteſſum apud Gades delatus eſt, quo tempore Cirenen condidit Battus, videlicet annos circiter ſexcentos (2) poſt obitum Argivi Herculis. At ignorarene iter potuiſſent Græci, ſi Duce Hercule ſuo in Hiſpaniam magna manu adnavigaſſent? Quamobrem cum Alcides in Gallias, atque adeo in Italiam non aliunde venerit niſi ex Hiſpaniis; cumque nunquam appulerit, aut vero potuerit appellere in Hiſpanias, tum temporis Græciæ ignotas, illud plane conſequitur, ut in Italiam devenerit nunquam.

At in fabulis eruntne habenda quæcumque tanta conſenſione Antiquitas reliquit de Herculis Hiſpanienſi Italicaque expeditione? Nullamne fidem facient Columnæ Herculis nomine in hanc uſque diem appellatæ? Hiſpanæ Urbes ab illo haud dubie

(1) Herodotus l. 4. p. 120.

(2) Battus Cyrenem ſtatuit in Lybia olympiade 45., poſt Trojam a Græcis captam annos 586., ut tradit Solinus. Mors autem Herculis haud longe ante tentatam ab illius poſteris Peloponneſum, & Euriſthei necem accidit, quæ cadit ſub annum ante Trojanum excidium viceſimum. V. Petavium Rationar. Temp. p. 1. l. 1. c. 10. 11. 12., & l. 2. c. 12.

bie conditæ, & præcipue Templum fama ubique commendatum, quod adventus ejus, memoriæque monumento apud Gades fuit magnificentius exſtructum? Ad hæc habeo quid reponam cum Appiano græco auctore (1): *Credo Herculis Fanum in eo loco, qui Columnæ dicitur, ab Iphenia fuiſſe ædificatum: in quo etiam hodie Phœnicum ritu cæremoniæ celebrantur, ipſeque Deus ab incolis non is, qui Thebis natus eſt, ſed qui Tyri, eſſe cenſetur.* Sed in alteram Quæſtionem hæc conferenda ſunt. Nunc diflata Argivi Herculis fabula ſit Anacephalæoſis.

Ut Herculem fuiſſe credamus, omnis omnium temporum, & Scriptorum auctoritas facit, quando res ejus geſtæ fuere explicatæ hiſtorico ſtylo detruſis fabulis, fabulæq. ipſe ubique paſſim Hominem fuiſſe produnt virtute præſtantem: ſed Argivum Herculem Græci in ſuæ gentis laudem præ cæteris extulerunt; & Latini, quorum non intererat, Græcos ſecuti Latium ejus fama complerunt. Magnam tamen partem confictum probant Samſonis, Joſvis, aliorumque Heroum facta illi aſſuta. Neque vero Romana monumenta fidem faciunt Alcidis Italiam peragrantis poſt Geryonem in Hiſpania cæſum, ejuſque abactos Boves; namque Geryon in Epiro, non in Iberia regnavit, navigatio autem in Hiſpanias Græcis non patuit, niſi annos ſexcentos poſt Argivi Herculis Apotheoſim. Fabuloſus igitur Alcidis in Italiam adventus.

DIS-

(1) Appian. Bell. Hiſp. init.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE HERCULIS IN INSUBRIAM ADVENTU.

De Phœnicio Hercule dicere aggredientem deterreret ſumma auctoritas, nomenq. Huetii, qui Phœnicium, Cretenſem, Thebanum, & quotquot nomen Herculis tulere, ſtatuit Joſvem eſſe; niſi videretur plus nimio a veri ſimilitudine ejus abeſſe ſententia, quæ omnes omnium Gentium Deos, etiam Sinenſes, Japonios, Americanos ad unum fere Moſem, & Joſvem pertinere contendit. Itaque (1) Moſes idem ac Taautus, Adonis, Tamaz, Marna Phœnicum; idem ac Thyoth, Oſiris, Apis, Mnevis, Serapis, Orus, Anubis, Vulcanus, Typho Ægyptiorum, & Zoroaſter Perſarum; idem ac Theutus Thracum, Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum, Britannorum, & fortaſſe Mexicanorum; idem ac Saturnus, Jupiter, Neptunus, Mercurius, Apollo, Mars, Pan, Priapus, Æſculapius, Prometheus, Cecrops, Bacchus, Minos, Radamantus, Æacus, Protheus, Perſeus, Ariſtæus, Muſæus, Orphæus, Linus, Amphion, Eumolpus, Tireſias Græcorum; idem denique ac Janus, Vertumnus, Faunus, Sylvanus, Evander Romanorum.

Eſt iſthuc quidem Harduiniano de antiquis Scriptoribus fortaſſe non inæquale commentum, quo

(1) Huetius Demonſtr. Evang. Prop. 14., ubi de libro Joſve.

quo exemplo facile liceat omnem antiquitati, monumentiſque fidem abrogare. Certe ejuſcemodi argumentorum genus ſubtili plerumque, & moroſa collatione Scriptorum nititur, & nunquam non conjecturis, ingenio, ſtudioque curioſius certat. Omnis tamen ab Huetio veterum Scriptorum, & Antiquitatis diſſentit auctoritas, quæ etiam Deorum pleroſque mortalibus natos, & non ſolum (1) eorum originem, ſed alicubi etiam ſepulchra oſtendit. Laborare autem in ſimilitudine nominum, indeque, niſi alia ſint graviora, argumenta accerſere, minime operæ pretium videtur. Miſerandum ſane etiam tum (2) M. Tullii ætate putabatur opus, eſſe enodandis, componendiſque nominibus ſtudere, cum nullum fere ſit nomen, quod una adjecta, rejectaque littera non poſſis explicare, unde ductum ſit; magna autem moleſtia, & minime neceſſaria commentitiarum fabularum reddere rationes, & cauſas quærere, cur quidque fabulati ſint veteres.

Contra vero Phœnicium Herculem vindicat Sanconiathonis teſtimonium, qui non ſolum verum ejus nomen aperit, ſed etiam Patrem. Hæc ejus verba apud Euſebium (3). *Ex Demarunte autem natus*

(1) V. Cic. de N. D. l. 3. p. 70. Edit. Man. Ven. 1555. ſed l. 1. p. 24. *quid, qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſq. eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus?... ab Euhemæro autem & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur Deorum.* V. etiam Diod. Sic. l. 1. c. 2.

(2) Cic. ibid. p. 72.

(3) Euſebius Præp. Evang. l. 1. c. 10.

natus eſt Melcarthus, qui & Hercules. Sanconiathon autem Trojano excidio antiquior proxime ætate ad Moſen acceſſit. Plura ſcripſit, ſed præcipue Phœnicum Hiſtoriam, quam græce Philo Byblius ſynchronus Adriani Imp. reddidit, erutam ex ſingularum urbium commentariis, & monumentis Templorum. Sed multo maximum Sanconiathon habuit ad conſcribendam Hiſtoriam auxilium (1) in commentariis Jerombali Sacerdotis Dei Jevo, vel Jao. Porro hunc eſſe Deum verum intelligimus ex Diodoro Siculo, qui tradit Moſem (2) legum ſuarum auctorem inſcripſiſſe Deum, qui vocetur *Jao*. Quod nomen Deo O. M. tribui docuit Clemens Alexandrinus (3); Hieronymus (4) autem. *Prius inquit nomen Domini apud Hebræos quatuor literarum eſt... quod proprie Dei vocabulum ſonat, & legi poteſt Jaho*. *Jerombalus* autem non alius fuit, quam Gedeon, qui *Jerobabal* etiam in libro Judicum vocatur. Sed minus proprie Sanchoniathon eum Sacerdotem Dei dixit: Sacerdos tamen creditus eſt Phœnicibus, quod is ex monilibus Iſmaelitarum aureis *Ephod*, ideſt Amiculum, fecit, quod veſtimentum erat Sacerdotis; & fortaſſe etiam Sacerdos habitus, & appellatus ab iis ad declarandam ſummam viri auctoritatem apud ſuos. Cum

(1) V. Bochartum in Chanaan l. 2. c. 17. Voſſium de Græcis Hiſtor. l. 1. c. 1., & de Idolol. l. 1. c. 22. Huetium Præp. Ev. Prop. 4. c. 3. n. 2.
(2) *Apud Judæos Moſes a Deo, qui vocetur Jao, acceptas leges dare præſeferebat*. Dionyſ. l. 1. p. 2. c. 5. pag. 43. mihi.
(3) Cl. Alex. Strom. l. 5.
(4) Hieronymus in Pſal. 8.

Cum autem Phœnicius Scriptor non ſolum æqualis, ſed familiariter notus Gedeoni eſſet; Gedeon vero annis minus ducentis abeſſet a Joſve, credibilene eſt aut Sanconiathoni Phœnicio, ideſt Cananæo, ignotum Joſvem fuiſſe, cum tam multa reſciſſet de Hebræorum rebus; aut Joſvem ita jam tum migraſſe in perſonam Herculis, ut Sanchoniathonem ejus ætati proximum lateret hoc commentum, & aliunde Herculem nobis tam diſtinčte traderet proprio, Patriſque ejus nomine deſignato?

Quid, quod nimis a fide abhorret, Phœnicios ab Moſe & Joſve ferro, atque igni petitos, ſuiſque adeo ſedibus extruſos, & ubique terrarum diffugientes, utrique tamen divinos honores tribuiſſe, & Templa, ac Sacrificia multis locis conſtituiſſe?

Quamobrem liceat mihi a ſummi cætera, doctiſſimique viri ſententia diſcedere. Antiquitatis, & veterum Scriptorum fide, bene antea perpenſa & explorata, innixus de Phœnicio Hercule diſſeram, atque hæc ordine perſequar. I. Hercules in Hiſpania cultus, eſt Phœnicius: II. Cur idem vocetur Ægyptius: III. Non duo ſunt Hercules Phœnicii, ut putat Voſſius: IV. Phœnicius eſt æqualis Moſi: V. Circa vel paulo ante Joſvis irruptionem in Palæſtinam Hercules migravit in Africam cum Phœnicibus, ſeu Cananæis: VI. Cur Cananæi Phœniciorum nomen aſſumpſerint, undeq. id partum: VII. Quandiu in Africa manſerit Cananæum nomen: VIII. Herculis in Africa monumenta: IX. Quo loco Hercules transfretarit in Hiſpanias: X. Cur dicatur ſtatuiſſe ad fretum columnas: XI. A quibus Gaditanum Herculi Templum exſtructum,

ctum, & cur adeo verendum: XII. Hercules ex Hiſpania in Italiam per Gallias deſcendit: XIII. Non per Grajas, ſed per Maritimas Alpes, & per Ligurum fines: XIV. Adventus ejus in Inſubriam. XV. Quæ de expeditione Phœnicii Herculis in Italiam traduntur minus ſunt incredibilia, quam multa alia certiſſima. XVI. Monumenta & Coloni ab Hercule relicti in Inſubria. Hæc ego ſtrictim, &, quoad fieri poteſt clarius, explicabo, inde neceſſario ſequetur Novarienſes non profecto temere & inconſulto arrogaſſe ſibi ab omnibus ætatibus Herculem Conditorem.

I. Quæ ex Appiano attuli ſub finem ſuperioris Quæſtionis ſane probant Phœnicium Herculem apud Gades cultum: ſed quando Scriptorum abunde ſuppetunt auctoritates, lubet rem confirmare plerumque teſtimonio Græcorum, qui niſi ſupra omnem ſuſpicionem compertum habuiſſent Phœnicium Herculem Gadibus cognitum, nunquam profecto hanc laudem, tanto ſtudio a Poetis ſuis collatam in Herculem Argivum, detorſiſſent in alium. Diodorus (1) *Phœnices condidere Urbem, quam Gadiram dixerunt: in ea inter cætera ædificia Templum Herculi, quod ad noſtram uſque ætatem ſumma in veneratione eſt habitum, ſtatutis de more Phœnicum Sacris, ſumptuoſo opere conſtruxerunt*. Arrianus (2) Tarteſſi nomen uſurpans pro Gadibus, uti etiam Plinius, aliiq.: *Herculem, inquit, illum, qui Tarteſſi colitur, ab Iberis (ubi etiam columnæ quædam ſunt Herculeæ dictæ) puto ego Tyrium eſſe Herculem*. Philoſtratus in Apollonii vita pluries Herculem Gaditanum Ægyptium

(1) Diod. Sic. l. 5. c. 7.
(2) Arrian. Exped. Alex. l. 2.

tium nominat, ſed libro 2. (1) *unde*, inquit, *manifeſte ſatis colligi poteſt, non Thebanum Herculem, ſed Ægyptium ad Gades veniſſe*. Accedat denique Hiſpanus Scriptor Pomp. Mela (2): *Templum Ægyptii Herculis*, (apud Gades) *conditoribus*, *Religione*, *vetuſtate*, *opibus illuſtre Tyrii condidere*.

II. Quod autem Hercules Gadibus cultus a nonnullis Phœnicius, ab aliis vero Ægyptius cenſeatur, multæ eſſe poſſunt cauſæ. Magna intercedebat Ægyptios inter & Phœnicios ſimilitudo morum, Sacrorum, veſtitus, atque etiam linguæ, uti præ cæteris Huetius (3) oſtendit, idq. accidit ob propinquitatem regionis. Omnis enim tractus ab Urbe Sidonis ad Ægyptios uſque limites, Phœnicia dicebatur teſte Procopio (4), & Geographis. Accedebat quotidianus propemodum commercii maritimi uſus inter utramque Gentem, ſic ut alter Tyri portus Ægyptius vocaretur (5): itaque crebro mutuo nomine eorum naves appellabantur ita, ut Phœniciæ aut Tyriæ vocarentur, quæ erant Ægyptiæ, & vice verſa. Fortaſſe etiam claſſis, qua Hercules adnavigavit Gades, non Phœnicibus ſolum, ſed Ægyptiis etiam conſtabat; itaque potuere utrique & novæ Coloniæ, & ejus Ducis ſibi nomen vindicare. Quamquam alia gravior eſſe poteſt ratio, cur exiſtimemus Ægyptium, Phœniciumq. Herculem unum eumdemque fuiſſe.

Herculem Ægyptium lingua patria *Chona* appel-

(1) Philoſtrat. in Apollonii vita c. 14.
(2) Pomp. Mela l. 3. c. 6.
(3) Huet. Demonſtr. Evang. Prop. 4. c. 13. n. 3.
(4) Procop. Vandalic. l. 2. (5) Strabo l. 17.

pellatum legimus apud Phavorinum; Car. Stephanum (1), alioſq; atque ab illo in Italiam profecto *Chone* urbem Œnotriæ, & *Chonios* ſeu *Chones* populos nomen eſſe ſortitos. Is autem, niſi me fallit conjectura, unus eſt cum Phœnicio; nam Stephanus Byzantius tradit Phœniciam antiquitus *Chna* dictam, & Phœnices *Chnaos*. Idem cognomen habuiſſe initio Phœniciam ſcribit Philo Byblius (2) Sanchoniathonis interpres. *Chna* autem manifeſto eſt *Chanaan* (3), idemque ac *Chona*, vocali interjecta, explicandæ orientalis vocis cauſa ad uſum græce latinæq. pronunciationis. Idem igitur Phœnicius Ægyptiuſq. Hercules.

III. Cur autem (4) Voſſius duos Hercules Tyrios, ut ipſe vocat, ſeniorem junioremque obtrudat, haud ſane intelligo, & falli puto Virum cætera doctum cum priori nomen ait fuiſſe Melcartho, eumq. antiquitus Tyri cultum; alterum autem Colonia Gades deducta nomen idem eſſe conſecutum; ut quando tantam præſtitiſſet virtutem, prioris memoriam repræſentaret. Errat tamen: multo enim ante Tyrum conditam Hiſpaniæ viderant Herculem, ut mox oſtendam. Itaque cum Bocharto (5) exiſtimo Herculem Melcarthum, illum ipſum antiquiſſimum, in Iberiam tranſiſſe cum Phœnicibus: cum

(1) V. Lexicum Phavorini in χῶνες, & Car. Stephanus in *Chon*, & *Chone*.

(2) Phylo Bibl. ap. Euſebium Præp. Evang. l. 1. c. 10.

(3) V. Huetius Demonſt. Evang. Prop. 4. De Libro Ioſve n. 13. & Bochart Phaleg. l. 4. c. 34.

(4) Ger. Voſſius Idolol. l. 1. c. 34.

(5) Bochart Chanaan l. 1. c. 34. verſus finem.

cum Phœnicibus dico, non cum Tyriis, ut Voſſius. Neque enim aut Hercules, aut Phœnices adhuc in Tyriorum nomen migraverant, cum nondum condita fuiſſet Tyrus, unde ea appellatio extitit.

Equidem erat jam tum Palætyrus, vetuſtior ſcilicet Tyrus, ut nomen ipſum deſſignat, urbs in continenti ſita e regione inſulæ, in qua deinde nova Tyrus fuit exſtructa; & Palætyrus aliquoties etiam Tyri nomine memoratur in S. Scriptura (1); ſed hanc nemo deſignat cum Tyrios nominat. Tyrii enim neque celebritatem habuere, neque maritimas expeditiones aggreſſi ſunt, niſi cum nova Tyrus floruit, opulenta illa incredibiliter, atque *illuſtris*, quam Alexander perdomuit. Sed hæc multo ſerius fuit exſtructa.

Licet enim Tyrum Sidonis æmulam, antiquam, Cadmæam, Ogygiam Poetæ vulgo prædicent, Tyriiq. apud Iſaiam (2), & Herodotum (3) antiquitatis nomine ſe plurimum jactent, urbs tamen condita non fuit, niſi annis ducentis, & quadraginta ante ædificatum ab Salomone Templum, ut ex Tyriorum Annalibus refert Joſephus (4): *Initium vero fabricandi Templi in annum undecimum Regni Iromi incidit apud Tyrum regnantis, quæ condita eſt ducentis quadraginta annis antequam Templum exſtrueretur:* hæc autem ætas recidit in Gedeonis Præfecturam, ante Trojanum excidium annos ſeptuaginta. Quamquam

(1) Joſve c. 19. v. 29. *revertiturque in Hormia, uſque ad Civitatem munitiſſimam Tyrum, & uſque Hoſa.*
(2) Iſ. c. 23. (3) Herod. l. 2.
(4) Joſephus Antiq. l. 8.

quam etiam multo ſerius Tyrus fuit condita, ſi Trogum conſulimus, qui ejus exordia fere ſtatuit ſub Trojæ excidium: *poſt multos deinde annos a Rege Aſcaloniorum expugnati* (Sidonii) *navibus appulſi Tyrum, urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt* (1).

IV. At Phœnicius Hercules multo ante Trojanam cladem, & Gedeonis ætatem floruit, uti ſuperius demonſtratum eſt ex Sanchoniathone, qui Gedeoni ſuppar Herculem Phœnicium memorat, veluti ejus ætate antiquitatem jam haberet. Illi *Melcarthi* proprium nomen fuit; diverſimode tamen ab aliis appellatus eſt, namque *Melicertha*, *Palæmonis*, *Deſanai* etiam nomina uni fuere adſcripta; ſed Melcarthi, & Deſanai nomine eſt notior, atque eum Euſebius in Chronicis inclaruiſſe ait in Phœnicia, Moſis ætate (2).

V. Quantum autem conjectura licet opinari, videtur, quo tempore Joſve in Palæſtinam irrupit, Hercules inde migraſſe in Africam, ſecumque multitudinem adduxiſſe Phœnicum, quos Iſraelitæ ſuis ſedibus ejecerant. Cananæi enim, qui Phœniciam, ſive Palæſtinam habebant, propulſi, exterminatique ſuis ſedibus, magnam partem refugere ad oram maritimam, cui deinde Phœniciæ nomen proprium fuit, aut

(1) Juſtinus l. 18. Vide etiam Petavium Ration. Temp. p. 1. l. 2. c. 4.

(2) Num. CXLII. legimus, *Moſes in Sina monte Divino fruitur aſpectu*. At quinquennio ante, nimirum num. CXXXVII.: *Hercules cognomento Deſanaus, in Phœnice clarus habetur: unde & ad noſtram uſque memoriam a Cappadocibus, & Elïenſibus, Deſanaus adhuc dicitur*.

aut in proximam Ægyptum receſſere. Inde tamen aucta incredibiliter multitudine, aut ejus minuendæ gratia, aut novi imperii cupidine ſolicitati, novarumq. rerum avidi, alii poſtmodum præeunte Cadmo in Græciam, alii aliò delati ſunt.

At qui antea Melcarthum fuerant ſecuti, magnâ manu in Africam irruperunt. De his hæc Procopius (1) *Ubi* (Chananæi) *Ducem advenam* (Joſvem) *vinci non poſſe intellexerunt, relicta Patria in Ægyptum conterminam commigrarunt: ubi loco non invento... in affinem Africam conceſſerunt, quam totam uſque ad columnas Herculis obtinuerunt, multiſque Urbibus conditis frequentarunt: Phœnicum lingua etiamnum utuntur.*

Conſentit Euſebius docens Chananæos ab Joſva ſuis finibus exactos in Africæ urbem Tripolim receſſiſſe: *illi refugerunt a facie Filiorum Iſrael, & Tripolim Africæ incoluerunt, ut quæ eſſet in ſorte Cham* (2): quod alio loco idem Procopius innuit: *Hæc ora limitem* (3) *habet Tripolitanum, incolaſque Mauros Barbaros, gentem a Phœnicibus oriundam.* Neque vero hic antiquiſſimus Phœnicum in Africam adventus Romanos Scriptores latuit. Salluſtius in Jugurtha: *id oppidum* (Leptis Africæ) *a Sidoniis conditum:* & paulo poſt: *Legum cultuſque pleraque Sidonii.* Plinius vero (4): *Tyrus olim partu Clara urbibus genitis Lepti, Utica...* Sed hìc *Tyrus* pro Phœ-

(1) Procop. Vandal. 2. c. 10. V. Hiſt. Byzant. T. 2. Edit. Reg. Pariſ. (2) Euſeb. in Chron.
(3) Procop. de Ædif. Juſtin. l. 6. c. 3.
(4) Plin. l. 5. c. 19.

Phœnicibus eſt intelligenda; namque Utica multas ætates ante conditam Tyrum fuit, uti mox videbimus. Igitur Cananæi ſecuti Melcarthum procul dubio conceſſere in Africam, ut minimum quo tempore eos e patrio ſolo exegit Joſve.

Ut minimum dico; ſuſpicor enim eos etiam ante Joſvis expeditionem, in Africam irruiſſe. Conjecturam affert Utica ipſa a Phœnicibus condita ut diximus. Ariſtoteles enim ex Monumentis Phœnicum tradit eam fuiſſe conditam a Phœnicibus annos ante Carthaginem ducentos octoginta & ſeptem (1). Cum autem Carthago ex Appiano (2), aliiſq. fuerit ab iiſdem exſtructa annos quinquaginta ante Trojanum excidium, atque hoc certiſſime inciderit in annum ante æram (3) Chriſtianam MCLXXXIV., retroductis trecentis triginta & ſeptem annis, quot recurrunt ad Uticæ exordia, debuit hæc fuiſſe condita anno circiter trigeſimo Peregrinationis Iſraelitarum.

Itaque veriſimile videtur Chananæorum multitudinem, cum Iſraëlitæ jam Madianitis, jam Amalecitis, aliiſq. nationibus fuſis ac deletis imminerent Phœniciæ, & palam ſibi Chananæorum ſedes vendicarent, devoventes ferro igniq. omnia, veriſimile, inquam, videtur Chananæorum multitudinem perculſam magnitudine, fortuna, atrocitateque hoſtium, trepidam ſibi conſuluiſſe ante eorum adventum, & Melcarthi ductu Africæ remotas regiones quæſiſſe, ibique Regnum ſibi conſtituiſſe, novo Phœnicum

(1) Ariſtot. in admirandis n. 130.
(2) Appianus in Punicis init.
(3) V. Petav. Uſſerium &c.

nicum nomine vel ſibi affiſto, vel ab Africæ populis appoſito.

VI. Phœnicum certe, & nuſquam Chananæorum nomine occurrunt apud Græcos, Latinoſq. Scriptores: id autem propterea, quod originem Chananæi ſuam diſſimularent. Eos enim chananæi nominis ſuppudebat ob maledictum in Chanaan Progenitorem contortum; quodq. ea de re unice internecino bello petebantur. Quare in alia nomina migrarunt, Phœnices, Sidonii, Syrophœnices, Syri, Tyrii appellati. Sed Phœnicum illis primo tributum; eoque uſi plurimam navigandi ſcientia celebritatem adepti ſunt.

Phœnicum vero nomen licet ſit pervulgatum, incertæ eſt tamen, obſcuræque originis, cum alii a palmarum copia, quibus abundat Palæſtina (Palma enim *Phœnix* dicta); alii a Mari rubro, alii a colore purpuræ, cujus magnus fuit Tyri uſus, ductum putent: ſed ab Erythræo ortum exiſtimant (1) Herodotus, Diodorus Siculus, Juſtinus, Strabo, quorum non eſt neceſſe afferre ſententias. Hi videntur cenſuiſſe ita appellatos, quod Erythræo finitimi, aut inde profecti eſſent. Sed Bochartus graviſſimo uſus teſtimonio veterum Scriptorum putat Chanaanis cognomen (2) fuiſſe *Phœnix*, (fortaſſe ex colore; idem

(1) Herod. l. 1. Diod. l. 16. Juſtin. l. 18. Strabo l. 1.
(2) Habemus ea de re inſignem Eupolemi locum in libro de Judæorum Aſſyria *Hunc vero Chanaan* (filium Saturni) *genuiſſe Phœnicum patrem*. Ex Eupolemo citat Alexander Polyhiſtor, ex Alexandro Euſebius Præp. l. 9. atq. huc facit, quod habet ibidem l. 1. Phi-

idem enim Phœnix eſt, ac Ruffus), indeq. inditum ejus poſteris Phœnicum nomen. Sed ut eſt, certe ex vocabulo *Phœnicius* ortus eſt *Puniceus*, *oe* in *u* converſo; uti ex *Phœnix Pœnus*.

VII. Cæterum tametſi Chananæi ſub Phœnicum nomine ſe occuluerint, neque tamen Chananæum nomen interiit cum in Phœnicia, tum in Africa. Eadem enim illa, quæ a S. Marco Syrophœniſſa nominatur, a S. Matthæo Chananæa dicitur, profecta ex finibus Tyri & Sidonis. In Africa vero tandiu ſuperfuit, ut etiam quarto ſæculo a C. N. vigeret. S. Auguſtinus *interrogati ruſtici noſtri quid ſint, punice reſpondent Chanani, corrupta ſcilicet voce, ſicut in talibus ſolet, quid aliud reſpondent, quam Chananæi* (1). Non tamen corruptam, ſed puram putam vocem punicam eſſe, docti eam linguam admonent: etenim punicum *Chanani* plus accedit ad Hebræum, quam latinum *Chananæus*(2).

VIII. Illuc igitur Hercules pervaſit, expeditioniſq. a ſe ſuſceptæ monumentum ſtatuit; Diodorus enim ſub finem l. 3. *Superiorem*, inquit, *Herculem in Ægypto natum ferunt magna armis ſubacta orbis parte in Lybia columnam poſuiſſe:* præterea in Lybiæ interiora progreſſus Capſam condidit, Lybiciq. cognomen retulit. Salluſtius in Jugurtha: *Erat inter ingentes ſolitudines oppidum magnum, atq. validum no-*

Philo Byblius ex Sanchoniathone *Chna*, *qui Phœnicis cognomine primus inſignis fuerit*. Nemo enim eſt, qui non videat nomen *Chna* natum eſſe ex decurtato *Chanaan*. V. Bochart. in Phaleg. l. 4. c. 34.

(1) S. Aug. in Ep. ad Rom.

(2) Bochart. Chan. l. 2. c. 16.

nomine Capſa, cujus conditor Hercules Lybis ferebatur. Oroſius vero (1) *Marius Urbem ab Hercule Phœnice, ut ferunt, conditam regiis theſauris confertiſſimam, dolo circumvenit, & capit*. Ex quibus teſtimoniis duo obſervo, & traditam famam urbium ab Hercule conditarum a doctis viris etiam antiquitus magni habitam fuiſſe; & unum eumdemque Melcarthum Phœnicii, Ægyptii, Lybiciq. nomen retuliſſe, quam traditionem confirmant quodammodo nomina Novariæ ab Hercule conditæ, quam Phœniciam Ægyptiam Lybicamq. a majoribus appellatam ejus Hiſtoriæ, & monumenta tradunt.

Sed ad maritima præcipue loca ſe effudit multitudo Chananæorum ſequens Herculem Melcarthum; & in Tingitana ora, quæ eſt Gadibus oppoſita, ſubſtitit. Hic Antæum urbis Tingis auctorem regnaſſe tradunt Plinius, & Solinus. Poetæ fabulis more ſuo Antæi Hiſtoriam exornarunt. Quod eſt, Hercules Antæum ſæpe victum, & novis viribus in certamen deſcendentem denique apud Tingim delevit; eoque colonias adduxit non Græcas, ut Plutarchus communi errore Græcum (2) Phœnicio Herculi ſupponens, ſed Phœnicias, uti monumenta inſcriptioneſque teſtantur, quæ Procopii ætate adhuc videbantur (3). *Caſtellum quoque* (Phœnices) *ſtruxerunt in urbe Numidia, ubi eſt urbs jam dicta Tingiſis. Ibi ad fontem uberrimum columnæ e lapide candido viſuntur duæ, quæ inciſam Phœnicum litte-*

(1) Oroſ. l. 5. c. 14. adde Florum l. 3. c. 1.
(2) Plutarchus in Sertorio.
(3) Procop. Vandal. 2.

litteris & verbis ſententiam hanc ſervant: NOS II SUMUS QUI FUGIMUS A FACIE JESU LATRONIS FILII NAVE.

Quas alias urbes, neque ſane paucas Phœnices in Africa, atque in ora maritima ſtatuerint, non hujus eſt loci dicere; ſi hæc lubet cognoſcere, adeatur Chanaan Bucharti l. 1. c. 24.; quod ad rem pertinet, ex ora Tingitana eoſdem in Hiſpanias transfretaſſe tradit Pomponius Mela Hiſpanus, in eaque vicinia natus. Is Hiſpaniæ oram relegens ad fretum pertinentem, & Tingitanæ obverſam (1): *Cartheja*, inquit, *ut quidam habent, aliquando Tarteſſus & quam tranſvecti ex Africa Phœnices habitant, atque unde nos ſumus, Tingi altera*. Cartheja videlicet, unde ortum ducebat Mela, Colonia erat Phœnicum, qui ex Africa tranſgreſſi eam condiderant in ſimilitudinem Tingis, quæ negotiatione, & fama plurimum florebat.

IX. Atque hinc veriſimilius Hercules in Hiſpanias transfretavit. Conjecturam firmat Urbs ab illo condita in Iberica ora apud Calpen montem oppoſitum Abilæ, qui montes ſubinde columnarum Herculis nomine famam habuerunt. De ea urbe ſic Strabo (2): *Is* (Mons Calpe) *ad dexteram eſt e noſtro mari foris navigantibus, & ad XL. ſtadia Urbs Calpe vetuſta, & memorabilis, olim ſtatio navibus Hiſpanorum. Hanc ab Hercule quidam conditam ajunt, inter quos eſt Timoſthenes, qui eam antiquitus Heraclæam fuiſſe appellatam refert, oſtendique adhuc magnum murorum circuitum, & navalia*. Cum tamen de

(1) Pomp. Mela l. 2. c. 6. (2) Strabo l. 5.

de Urbe Calpe in illis locis nulla amplius ſit apud Strabonem mentio, cumque Ptolomæus, Plinius, Solinus, aliiq. Geographi Carthejam collocent ad Calpen montem, Caſaubonus prudenter putavit pro Καλπηπολις (*Calpipolis*) legendum Καρτηιαπολις (*Carthejopolis*); idque hoc magis, quod Strabo cum toties Carthejam nominet, nuſquam tamen alias ſitum ejus deſcribat.

Omnino igitur Cartheja videtur eſſe Urbs a Strabone deſignata, quam Timoſthenes cum aliis ſtatutam ab Hercule memorabat, & Heraclææ nomine donatam. Quod nomen tametſi ſenſim deſiit, conditoris tamen Melcarthi manſit memoria in altero, quod retinuit nomine. Utrumque enim una ſimul probabiliter nomen habuit & *Heraclææ* ab Cognomine, & *Melcarthejæ* a proprio nomine conditoris; poſtremo autem per Aphæreſim *Cartheja* ſolum valuit. Apud Hebræos enim, quorum linguæ affinis erat lingua Phœnicum, media inter Ægyptiam & Hebræam uti docet S. Hieronymus (1), apud eos, inquam, non infrequens erat ejuſcemodi Aphæreſum uſus in compoſitis vocabulis, uti *Seba* pro *Beerſeba*, *Ataroth* pro *Archiataroth*, *Salem* pro *Jeruſalem &c.*

X. Quod vero huc uſque Hercules perveniſſet, extremos orbis terrarum fines attigiſſe, ibique columnas ſtatuiſſe credebatur, more antiquitus recepto. Cum autem Regio, in quam Phœnices venerant, eorum judicio ultimus finis terrarum haberetur, hinc & Hiſpania *Iberia*, & populi *Iberi* appel-

(1) Hieronym. in Iſaiam 19.

pellati, quæ vox ex Hebræa & Chaldæa etymologia terminum finemq. deſignat; & urbem apud Montem Calpen poſitam illi putarunt terræ habitabilis extremum. Eadem porro invaluit apud pleroſque veteres opinio; itaque Pindari Scholiaſtes ad tertiam Olympiam ſub finem ait, Herculem ulterius progredi cogitaſſe, at cum Chaos, & tenebræ (ſcilicet ut ego puto immenſa Oceani vaſtitas) objicerentur, columnas conſtituiſſe, ut admoneret, plus ultra non poſſe permeari.

Quod ut poſteritas non ignoraret, geminæ etiam columnæ videbantur in Gaditano Herculis Templo, quarum & Philoſtratus, & Arrianus (1) & alii meminerunt. Eas argento (2) conflatas, & ignotis exaratas litteris ait Philoſtratus; Strabo autem ære fuſas (3). Poſſidonius apud eundem eſſe ipſaſmet credidit, unde columnarum Herculis nomen invaluit; confutatur tamen a Strabone. Ego ſic exiſtimo Herculem ut in Tingitana, ita etiam in Iberica ora columnas poſuiſſe adventus ſui teſtes. Nihil enim crebrius in antiquiorum temporum hiſtoriis legimus, quam columnas paſſim erectas; & Strabo (4) *Vetuſti*, inquit, *moris fuit hujuſmodi ponere limites*. Quamquam iis non ad deſcribenda tantum confinia utebantur, ſed etiam ad faſtos, atque Ætatum memoriam nepotibus conſignandam; atq. ut monumenta perſtarent expeditionum, quas confecerant, &

re-

(1) Arrianus l. 2. Philoſtratus V. Apoll. l. 2. c. 14., & l. 5. init. (2) Idem ibid.

(3) Strabo l. 3. p. 179.

(4) Idem ibid. p. 180.

regionum quas peragraverant (1). Sed Poetæ nugas ſuas interſeruerunt, & Calpen, atque Abilam Columnarum Herculis nomine donarunt.

XI. Adventu Melcarthi nonnullæ urbes in Hiſpania, multoq. plures conſequentibus ætatibus conditæ fuere a Phœnicibus, quarum etiamnum nomina Phœniciam originem præſeferunt. Sed præcipue Gades conſtructæ: *Gadir* & *Gadira* olim Urbs vócata, quod Phœnicia lingua *Septum* ſignificat; utq. Herculis memoria immortalitati traderetur, quo duce primum eas ſibi regiones patefecerant, Phœnicii templum maximum, maximoque cultu illi poſuerunt, ibidemq. ejus oſſa condiderunt; quare opibus, religioneque locus plurimum auctus eſt. Pomp. Mela *Templum*, ait, *Ægyptii Herculis conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre Tyrii condidere: cur ſanctum ſit, oſſa ejus* (2) *ibi ſita efficiunt*. Fato autem functus eſt poſt expeditionem Italicam.

XII. Namque ab Hiſpaniis Herculem, poſtquam Colonias Phœnicum in eo Regno conſtituerat, ſibique incolarum animos demeruerat, profectum in Gallias, atque inde in Italiam, omnes ad unum conſentiunt antiqui Scriptores Græci, & Latini. Diodorus Siculus (3): *Iberorum regno optimis ejus regionis viris tradito, cum exercitu in Celticam Galliam profectus eſt, omniq. peragrata provincia infandum interficiendorum hoſpitum morem ſuſtulit, urbem condidit amplam, quam appellavit Alexiam*. Am-

(1) Vide Seſoſtris monumenta ejuſmodi, eorumq. inſcriptiones apud Diodorum l. 1. p. 26., & Herodot. l. 1. p. 56.
(2) Pomp. Mela l. 3. c. 6. (3) Diodor. Sic. l. 4. c. 2.

Ammianus Marcellinus nonnulla fabuloſa permiſcens (1) tradit Gallos id magis omnibus aſſeverare, quod ipſe etiam legit *in monumentis eorum inciſum.... Herculem ad Geryonis, & Tauriſci ſævorum Tyrannorum perniciem feſtinaſſe, quorum alter Hiſpanias, alter Gallias infeſtabat*. Et quamquam Galli hunc Herculem Alcmenæ filium putarent, tamen Ammianus ſuperius Gallorum explicans originem refert ex Timagene Syro, Dorienſes (ex Doro ſcilicet (2) Phœniciæ urbe quam Ptolomæus, & Plinius memorant) Dorienſes, inquam, antiquiorem ſecutos Herculem *oceani locos habitaſſe confines*. Antiquior autem Hercules certe eſt Phœnicius, qui primus, immo ſolus Gades ad oceanum pervenit, uti oſtendimus: itaque fruſtra deinde ab Ammiano obtruditur Thebanus omnium noviſſimus.

Sed ex Galliis in Italiam tranſcendiſſe res eſt plus fortaſſe nota, quam ut confirmatione egeat, ita ab omnibus traditur. Placet tamen Dionyſium Alicarnaſſæum afferre diligentiorem rerum Herculis exploratorem, niſi Græcum ſemper Phœnicii loco habuiſſet. Is poſtquam docuit, uti Iberiam, & quæcumque ſunt ad occaſum ſubegerit, addit (3): *Cæterum in Italiam venit abſque comitatu, neque agens præ ſe armenta pecudum, ſed perdomita Hiſpania cum juſto exercitu venit ad ſubjugandos eorum locorum* (Italiæ) *homines*.

XIII.

(1) Ammianus Marcell. l. 5.
(2) Vide Ortelii Theſaurum Geogr., & Lexicographos art. *Dor*, *Dora*, *Doros*, & Plin. l. 5. c. 19.
(3) Dionyſ. l. 1.

XIII. Alpes ſuperaſſe omnes affirmant; neque eſt cur iterum moneam nihili pendendum, ſi Herculem nominent Argivum fere perpetuo, quod is plus inſediſſet mentibus ob ſcripta Poetarum. Nimirum ſatis multa habebant comperta, ut Herculem veniſſe non ignorarent; quis ille eſſet, inquiſitione non neceſſaria non quæſiverunt.

Igitur Corn. Nepos in Annibale *ad Alpes . . . quas nemo unquam ante eum cum exercitu præter Herculem Grajum tranſierat*. Plinius (1) *Graiis* (Alpibus) *Herculem tranſiſſe memorant*. Juſtinus: *Ea res* (2) [tranſitus Herculis per Alpes] *virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dedit*. Silius Italicus l. 3.

Primus inexpertas adiit Tirynthius Alpes: & l. 2. de Annibale *ut vicerit Alpes*
Herculei ſocius decoris.
& lib. 15. *Miratur domitas Alpes, ac pervia montis*
Ardua, & Herculeæ quærit veſtigia plantæ.

Quæri poteſt, qua tranſierit parte: Plinius, ut vidimus, Grajas Alpes memorat; idem C. Nepos, adjungitque, *quo facto is ſaltus Grajus appellatur:* alii etiam per Alpes Grajas putant tranſiſſe, quæ decurrunt a Monte Ceniſio ad ſummum Penninum, qui vulgo *mons Jovis*, & *S. Bernardi* vocatur.

Multa tamen ſuadent illum per Alpes maritimas iter habuiſſe: & primum quidem *Portus Herculis*, cui deinde *Monæci* nomen acceſſit in Liguria, de quo Ammianus (3) *Monæci Arcem*, & *Portum*

(1) Plinius l. 3. c. 17. (2) Juſtinus l. 24.
(3) Ammianus l. 15.

tum ad perennem ſui memoriam (Hercules) *conſecravit:* Herculem claſſem habuiſſe inferius dicam. Eſt etiam pugna Herculis cum Liguribus, de qua & alii, & Dionyſius (1): *nam præter cæteros Barbaros, Ligurum gens magna & bellicoſa in tranſitu Alpium ſita, armis eum arcere ab ingreſſu Italiæ conata eſt.* Pugnatum eſt circa Maſſiliam quo uſque procurrebant Ligurum fines. Nonnulli hos Ligures faciunt Gallos, in interioreq. ea regione collocant; ſed haud ſcio, an eorum ſedem Geographorum quiſquam adhuc repererit. Quid vero illi, ſi erant Galli, Italiam intercluderent Herculi, & hoſtem metuendum in ſuis finibus retinerent? Hi veriſimilius, quod mari, & nauticæ plurimum aſſueſſent, Neptuni filii vocati ſunt, quibuſcum Poetæ fingunt Herculi fuiſſe certandum. Et pugna gravis adeo, adeoque fuit pervulgata, ut eam non Poetæ ſolum, ſed veteres etiam Aſtronomi commemorent; cumque Hercules multitudine Ligurum, & telorum ſe ingeniculaſſet (2) vulneribus ſaucius, hoc illum habitu, in ſimilitudinem pugnantis, genuque præ laſſitudine flectentis inter ſydera deſignarunt; unde *ingeniculus*, ἐγγόνασι, ſignum in cœlo.

XIV. Tranſcenſis Alpibus maritimis, & Ligurum finibus in Inſubriam pervenit: Dionyſius (3): *Cæterum in Italiam venit... coactus vero eſt ibi multum temporis terere propter claſſis abſentiam, quæ diſtinebatur hybernis tempeſtatibus, tum quia non omnes Italiæ gentes ultro ad imperium ejus acceſſerant:* ſequuntur ſuperius allata de Liguribus, tum: *ſed poſt-*

(1) Dionyſ. loc. cit. (2) Higinus Aſtron. l. 2.
(3) Dionyſ. l. cit.

poſtquam his profligatis ſibi tranſitum patefecit, quidam ſponte deditionem oppidorum fecerunt, pleroſque tamen prœliis, aut obſidionibus ſubigere neceſſe fuit. Igitur hoc manifeſte conſequitur, ut Hercules terra iter fecerit, per Ligures tranſierit, perque eorum fines patefecerit ſibi iter in planitiem. Neque enim quis ſibi montium aditus aperit, ut ex montibus in montes alios pervagetur.

Clarius autem hoc Herculis per Inſubriam iter Diodorus Siculus explicat. *Ab his* (Gallis poſt Alexiam conditam) *Hercules in Italiam tendens, iterque per alpes faciens ita difficilem aditu, aſperamq. viam ſtravit, ut poſtea exercitibus cum jumentis, impedimentiſque facile iter eſſet, barbaros montanos infeſtos tranſeuntibus, latrociniiſque aſſuetos, occiſis eorum Ducibus, delevit, poſteris reddita itineris ſecuritate. Tranſiectis alpibus, & ea, quæ nunc Gallia* (togata ſeu ciſalpina) *vocatur, per Liguſticos tranſiit:* hic nonnulla interſerit de Ligurum natura, tum *Hercules Liguribus ac Tirrhenis relictis ad Tiberim fluvium pervenit.*

Hoc diſcrimen Dionyſium inter, & Diodorum, quod ille per Alpes maritimas tranſducit Herculem in Inſubriam, deindeque in Latium, contra vero ille alia eundem via demittit in Inſubriam, perque eam in Liguriam; ex Liguria vero in Hetruriam, rectaque ad Tiberim deducit. Utrumlibet tamen fuerit, Hercules in Inſubriam pervenit.

XV. Lubet hic interponere non defore, quibus incredibile videatur hominem e Chananæorum finibus egreſſum tantum terrarum peragraſſe, ut Lybia, Hiſpania, Galliaque devicta ad nos uſque ar-

arma, exercituſque pertulerit. Quibus poteſt reſponderi illa quoque incredibilia fore, quæ de tot, tantiſque expeditionibus Seſoſtris, & Alexandri certiſſimis monumentis, hiſtoriiſque confirmata accepimus. An vero non majora, multoque magis admiratione digna ſunt, quæ tribus abhinc ſæculis Tamerlanes geſſit? Nam Luſitanorum animi atq. virtutis, qui Orbem incognitum ſuo imperio adjecerunt, & ſæpe una alterave navi per Indias pervagati magnas nationes contriverunt, ſi triginta abhinc ſæculis facta legeremus, quis crederet? quis illa etiam de Hiſpanorum fortitudine, qui parvula militum manu ducente Corteſio Mexicanum Imperium antiquitate, opibus, viris munitiſſimum aggreſſi, brevi temporis ſpatio ſubegerunt, niſi hæc majorum noſtrorum memoria patrata fuiſſe ſciremus? Nimirum aliquando quædam accidunt ſupra communem temporum conſuetudinem, quæ poſt magnum intervallum ſuperare mortalium fidem videntur. At quo nos jure illa antiqua, ætates poterunt conſequentes hæc noſtra reſpuere. Erunt tamen fortaſſe non magis noſtra vera, quam quæ de Hercule Phœnicio commemoravimus, cujus fuit virtutis, rerumque geſtarum tanta amplitudo, ut ex Hiſtoricorum fide (1), *omnium, quæ memoria hominum complexa eſt, geſta ſuperare videatur... cum autem propter vetuſtatem, admirationemque rerum multi haud facile crederent ſcribentibus, neceſſe fuit in his, quæ maxima habebantur, prætermittere quædam, ne omnia ſcribendo parum fidei haberetur. Nonnulli enim legen-*

tium

(1) V. Diodorum Siculum initio cap. 2. l. 4., ubi de Hercule dicere aggreditur.

tium haud recto judicio uſi nimis exquiſite res ex his, quæ nunc geruntur, perpendunt: id ego tamen non dicam, quod Diodorus *æſtimantes Herculis virtutem ex noſtrorum hominum imbecillitate;* illud potius ſubjiciam pleroſque veterum ætatum conditionem in ſimilitudinem noſtrarum æſtimare. Sed ſecus res habet.

Vaſta tunc erat, neque adeo frequens, aut tot plena nationum Europa; contra numero & conſilio Aſia florebat, ubi poſt Babilonicam ſeceſſionem Familiæ magnam partem ſedes fixerant, incredilemque hominum multitudinem profuderant brevi. Non hujus eſt loci nationum annales conferre, ſed certe Moſis ætate Chaldæi, Ægyptii, Ammhoræi, infinitæq. illæ nationes, quæ ab Hiſtoricis memorantur Orientem compleſſe, viribus atque opibus valebant; at vero antiquiſſimum omnium Græciæ regnum Inachi vix tum exordiebatur. Quid Hiſpania, quid Gallia, quid eſſet Europa, ignoramus. Hoc tantum de Italia poſſumus affirmare, Janum illum, qui primus regnavit in Latio, & Saturnum excepit, vix poſt multas ætates floruiſſe, cum Aod Iſraelitarum judicem (1) gereret. Tanto ſerius Moſe, Joſve, atque adeo Melcartho fuit illa ætas aurea, quæ Italiæ antiquitatis habebatur exordium. Antea perrari incolæ, diſtracti, disjectique ferarum more potius, quam hominum, vitam agebant, ut mirum non ſit Herculem in Europam advectum cum magna manu Chananæorum, armis jam tum conſilioque præſtantium, regna percurriſſe, inſtituiſſeque ad ali-

(1) V. Petavii Ed. Ven. Rationarium cum notis in antiq. Hiſtor. P. 1. c. 4. 7. 11.

aliquam humanitatem, exſtructis oppidis, inductaq. paulo minus efferata morum natura, non ſecus atque eadem fere ætate Chananæi, ſeu Phœnices alii Græciam, Javanis poſteris jam habitatam, frequentarunt, atque artibus, diſciplinisque excoluerunt. Sed de his ſatis.

XVI. Melcarthum in Italia reliquiſſe ex ſuo comitatu, qui colonias inſtituerent, haud obſcura ſunt indicia, namque hæc ejus erat conſuetudo: *Inter imperatorias Herculis artes*, ait Dioniſius, *hæc quoque, non minus quam cætera res geſtæ, fuit mirifica, quod abſtractos devictis urbibus viros ſecum ducebat in militiam, ac, ſi promptam, & fidelem ſibi in bellis operam navaſſent, eos in agris hoſti ademptis collocabat de alieno iis ſatisfaciens* (1). Hinc porro factum ait, ut in Italia nomen ejus poſteritati traditum ad conſequentes ætates perveniret: *Has ob cauſas durat ejus nomen, & gloria per Italiam, non ob tranſitum, in quo nihil veneratione dignum;* atque hæc ducta ab Dionyſio Alicarnaſſæo ſatis juſta eſſe poteſt ratio, qua traditam a majoribus memoriam ſibi vindicent urbes, quæ ſe ab Hercule conditas fama perpetua acceperunt: nimirum ab iis ipſis, quos ille initio reliquit, orta & propagata cenſetur.

Populi autem, qui ab comitibus Herculis originem ducunt in extremis quidem Italiæ ſunt *Chones;* quos memorat Strabo (2). Diximus ſuperius Herculem Ægyptiorum lingua *Chon* nuncupatum; quod ex *Chna*, ſive *Chanaan* non obſcure defluxit. At-

(1) Dionyſ. loc. cit. (2) Strabo l. 6.

Atque ab hoc (1) Chone Ægyptio, ſeu Phœnicio Italiam antiquitus vocatam prodidit Antiochus, & *Chones* Italiæ populos, & *Chonem* urbem Œnotriæ. Præterea colonos alios ad Tyberim reliquiſſe tradidit Dionyſius (2): *Hercules autem compoſitis ex animi ſententia rebus italicis, & recepto incolumi ex Hiſpaniis exercitu navali, oppido item de ſuo nomine condito, ubi claſſis ejus ſtativa habebat ... trajecit in Siciliam. Illi vero quos Colonos reliquit, & præſidium Italiæ, fixis circa ſaturnium collem ſedibus, aliquamdiu propriam habuerunt Rempublicam &c.*

Non minus in Ciſalpina Gallia colonias ſtatuit eductas ex ſuo exercitu: atque hæc antiquitus fama obtinebat, recepta Romæ a doctis viris, Lepontios, qui valles monteſq. habebant Inſubriæ imminentes, eſſe ex Herculis comitibus profectos, æque ac Euganeos, & Incolas Grajarum Alpium, quæ a Monte Cenifio paulo ultra Montem minoris S. Bernardi porriguntur. Hæc litteris conſignavit Plinius, pro Phœnicio tamen Grajum Herculem interponens (3): *cæteri fere Lepontios relictos ex comitatu Herculis ... credunt: ejuſdem exercitus ... fuiſſe & Grajarum Alpium incolas, præſtanteſque genere Euganeos.* Oppida præterea, urbes, & monumenta bene multa ſtatuiſſe, neque eſt incredibile, & perſuadent ejus mos, ratioque expeditionum, deſignata ab Dionyſio: *in deſertis terris urbes condidit, fluminaque avertit campos inundantia, nihil non molitus, ut mare ac terra quam latiſſime paterent uſibus cunctorum morta-*

(1) V. Dict. Hiſt. Geogr. Caroli Stephani art. *Chon*, & *Chone*.

(2) Dionyſ. Halic. l. 1. p. 35. (2) Id. p. 34.

mortalium. Ad hæc Ariſtoteles (1) *Herculem*, ſcribit, *quam plurima monumenta, ac pene infinita in itinere, quo Italiam peragravit, reliquiſſe*.

In agro quidem Mediolanenſi oppidum putatur ab illo conſtructum, & nomine ejus dedicatum, cujus manent veſtigia in pago, cui *Harcur* corrupte factum jam nomen, reapſe tamen eſt *Hercules*, uti & veterum tabulis conſtat, & Scribarum noſtrorum uſus confirmat. Paſſim autem in agro Mediolanenſi inſcripta Herculis memoria colebatur etiam antea, quam Maximianus Herculius Imp., a quo auctus plurimum hic Herculi cultus, regnaret.

Sed multo maxime ejus valuit nomen apud Novarienſes, apud quos fama conſtans ſemper fuit, per ætates tranſdita perpetuo, Novariam ab Hercule conditam fuiſſe, qua de re & *Phœniciæ*, & *Ægyptiæ*, & *Lybicæ* antiquitus cognomina habuit, quæ oſtendimus Melcarthi Herculis propria fuiſſe. Hinc & *Urbs Herculis* a nonnullis Geographis appellatur, neque unquam aliter urbis ſimulacrum fuit exhibitum, quam mulieris in formam, Leonis pelle, cultuque obductæ, ut Conditorem ſuum imagine ipſa præferret. Sed finem ſcribendi faciamus.

Minus igitur caute Alciatus irridendum putavit Herculis in Inſubriam adventum, & Catonis (quiſquis tandem ille fuerit) ſententiam de Novaria ab Hercule condita. Cum enim ſit compertum revera Herculem ad nos perveniſſe, nihil magis credibile, quam illum, quod in Hiſpania, in Galliis, in aliis Italiæ partibus præſtitit, in Inſubria

(1) Ariſtotel. Admiranda 93.

bria etiam urbes condidiſſe, atque in his Novariam, præſertim cum, & id hiſtoriarum monumentis reſpondeat, & antiquiſſima traditio faveat; nominum autem non obſcura Indicia ſuffragentur, famaq. apud Novarienſes ſemper fuerit Herculis tanta, quanta, ſi licet dicere, indigetis propemodum Dei.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE PRÆLII LOCO INTER MARIUM ET CYMBROS IN AGRO NOVARIENSI.

QUa parte Cymbri (1) an per Veronenſium, an vero per Novarienſium fines in Italiam irruperint, tradit epiſtola, quam ſuperioribus annis dedi ad ampliſſimum Virum, in quo omnia ſunt ſumma, nobilitas, ingenium, doctrina, humanitas; qua ille perlecta in eandem opinionem deſcendit. Supereſt, ut de prælii loco, ac ſitu quæramus, qua in re diverſi diverſa Hiſtorici tradunt, atque alium alii nominant.

I. Vellejus Paterculus (2) *effuſa*, inquit, *immanis vis Germanarum Gentium cum Cæpionem Manliumque, & ante Carbonem Silanumque fudiſſent fugaſſentque in Galliis..... tum multiplicati conſulatus ejus* (Marii)... *Quarto* (conſulatu) *trans Alpes circa Aquas Sextias cum Theutonis conflixit.... Quinto citra Alpes in campis, quibus nomen Raudiis, ipſe Conſul, & Proconſul Q. Lutatius Catulus fortunatiſſima decertavere prælio; cæſa aut capta amplius C. M.* L. Florus (3) poſtquam Cymbrorum irruptionem deſcrip-

(1) V. *Lettere Lombarde* lett. 6.
(2) Vell. Paterc. l. 2. (3) Florus l. 3. c. 3.

ſcripſit ex Tridentinis, ut ipſe putabat, alpibus, & eorum impetum in tractum Veronenſem; poſtremo ubi de pugna eſt ſermo, *Marius*, inquit, *in tempore* (eos) *aggreſſus eſt. Jam diem pugnæ a noſtro Imperatore petierunt, & ſic proximum dedit. In patentiſſimo, quem Raudium vocant, campo, procurrére: millia inde ad LX. ceciderunt*. Salmaſius (1) in notis ſuis ad Florum admonet in aliquo codice non Raudium, ſed *Kandium* legi.

Juverit ex Plutarco in Mario totam iſtam irruptionem Cymbrorum afferre: diligentius enim cæteris ſeriem, prælii q. locum deſcribit. *Catulus Cymbris oppoſitus, cum de jugis Alpium tenendis deſperaſſet, ne dividere in multas partes exercitum coactus vires ipſe ſuas debilitaret, in Italiam ſtatim deſcenderat, fluvium Atiſonem* [male Xilander Atheſim ſuppoſuit] *propugnaculi loco ſumpſerat, trajectum utrimque validis munitionibus occupaverat, ponte utraque parte juncto. Verum tanta illis ferocia ... ut ... nivem nudis corporibus incidentem pertulerint, perque glaciem ... ad ſummitates montium evaſerint; & inde ſcuta corporibus lata ſupponentes per præcipitia ſe dimiſerint ... Poſtquam iidem prope hoſtem caſtrametati, fluviique tranſitu inſpecto cœpere aggerem injicere ... & arbores radicitus evulſas, & ſcopulorum fragmenta ... in flumen immittere, uti aqua eliſa extra alveum dimanaret, ſimulque ſecundo amne magna pondera demiſerunt, quæ fulcra pontis, ipſumque pontem illiſa concuterent ... Plerique militum timore perculſi ex majoribus caſtris diſceſſerunt ... Barbari propugnaculum, quod erat trans Athiſonem*

[hic

(1) Salmaſius in L. Flor. l. 3. c. 3. Edit. Lugd. Batav. Elzevir. 1655.

[hic Xilander iterum Atheſim obtrudit contra fidem græci textus] *aggreſſi ceperunt... Porro autem regionem præſidio carentem effuſe populati ſunt &c.* Poſt hæc Plutarchus tradit adventum Marii cum ſuis legionibus ad Catulum; tum *Bojorix autem Cymbrorum Rex cum paucis ſuorum ad caſtra Romanorum adequitans provocavit Marium, ut loco & die definito ſecum acie de ea regione decertaret. Marius... ſe hoc Cymbris daturum reſpondit. Ita dies ab eo tertius dictus eſt, locus pugnæ Campus ad Vercellas, & equitatui Romano, & explicandæ Barbarorum multitudini commodus &c.* ſequitur denique exercitus ex caſtris eductio, diſpoſitio, prælium. Denique Euſebius in Chronicis: *CC. millia Cymbrorum cæſa, & LXXX. capta per Marium Duce Theutomodo. C. Marius V. Conſul juxta Eridanum Cymbros ſuperans, & poſt de iis cum Catulo triumphat:* Aurelius autem Victor in C. Mario Patre *Cymbros in Italia in Campo Caudio vicit.*

Hi ex Hiſtoricis de prælii loco tradiderunt. Itaque per Vellejum, & Florum, *in Campis Raudiis* pugnatum eſt; per Aurelium Victorem *in Campo Caudio*, qui veriſimilius a Scriptoribus Candii loco ſubjectus fuit, quod fortaſſe etiam accidit in Floro, ut vidimus a Salmaſio innui; per Plutarchum in Campis *apud Vercellas*, per Euſebium *juxta Eridanum*. Tametſi plurima in his videatur eſſe varietas locorum, perſpecta tamen ſitus natura omnia explicantur facillime, indeque, quo fuerit loco prælium, intelligimus.

II. *Candium* manet oppidum antiquiſſimum in Laumellina; abeſt non multum a Pado, & Novarien-

rienſium finibus; atque hic pugnatum fuiſſe recentiores hiſtorici, & incolarum tradit memoria. Multo obſcurior notitia fuit *Campi Rhaudii*, & plerique Oppidum *Robium* putarunt intelligi debere, quod eſt non procul ſitum ab Agonia fl. paulum ſupra Novarienſium fines infra Candium, Vercellis V. circiter P. M. diſſidens. Ignorabant ſcilicet ſuperiores ætates *Rhaudios Campos* etiamnum ſuo nomine exiſtere, hinc veri ſimile quidam excogitarunt. Sed ita eſt; ſuperſunt, ſitique ſunt Campi Raudii apud Blandratum oppidum [*Biandrate*] illuſtre admodum, & memoratum hiſtoriis ob veteres ejus Comites, quorum lata erat ditio in Mediolanenſi, Novarienſique agro, & ſumma dignitas inter Italiæ Principes, jam inde uſque ab ſæculo duodecimo. Erant ex præcipua Mediolani Nobilitate, eoſque Mediolanenſis Reſpublica in tantam amplitudinem auxerat, ut clientelari Blandrati Comitum opera amplificarentur Reipublicæ fines, & Novaria ſenſim Mediolanenſium ditioni ſubjiceretur. Neque vero Comites ſibi defuerant: freti enim Mediolanenſium auxiliis, quæ occulte ſubmittebantur, omnem fere agrum Novarienſem, & magnam Vercellenſis partem occupaverant: Blandratum autem ea magnificentia exſtruxerant, ut auguſtæ, pulcherrimæque Civitatis imaginem haberet. Poſtremo tamen cum Friderico I. Aug. adhæſiſſent, conjuraſſentque ad Mediolani excidium, Mediolanenſes reſtituta Patria cum Novarienſibus eos bello petiverunt. Blandratum exciſum tunc fuit, & in tres pagos tributum. Veteris Oppidi amplitudinem prægrandes ruinæ, magno intervallo disjectæ, deſignant. Blandratenſes

Co-

Comites in Valleſiam poſtea conceſſerunt, & in Subalpinis reſedere, ubi Avitæ dignitatis decus nomenque in nepotes, poſteroſq. ſuos Blandrati Comites, atque, uti jam vocantur, Marchiones S. Georgii tranſmiſerunt, qui Auguſtæ Taurinorum ab aliquot ætatibus plurimum Regis gratia, & opibus florent.

Sed apud Blandratum ſunt Campi, quibus, quòd antea ad Prata deducta fuerant, nomen erat *Prata Raudia*, italice *Prati Rò*. *Rò* autem latine effertur *Raudium*; atque ita etiam ejuſcemodi nominis antiquiſſima Mediolanenſis Familia *Rò* in publicis tabulis *Raudia* appellatur. Nunc Prata iterum in *Campos Raudios* commigrarunt, quòd ad agrum colonum traducta ſunt. Geographi loci notitiam, quam hactenus vage deſignabant, hinc in poſterum habebunt: neque vero eam nobis tribuent, ſed, cui eam nos debemus, Comiti Donato de Sylva Blandrati Dynaſtæ, viro memoriæ eruditioniſque omnigenæ, qui effoſſa in ea vicinia Romanæ antiquitatis plurima monumenta tranſtulit Mediolanum in ædes ſuas, quæ haberi poſſunt doctrinæ, & veteris probitatis, honoriſq. Domicilium.

At vero ibi fuiſſe ab Mario debellatum præter nominis ipſius indicium, & memoriam a majoribus acceptam, loci ipſius ratio, ſituſque confirmant. *Campi* enim *Raudii* V. P. M. Vercellis diſtant, paulo amplius ab Candio, & Pado flumine. Quamobrem ſane intelligimus, uti veteres Scriptores non errarint, ſive ad Candium, ſive in Campis Raudiis, aut apud Vercellas; aut juxta Padum prælii locum definierint. Cum enim Cymbrorum maximus eſſet

eſſet numerus, duoque Romani exercitus ſe conjunxiſſent, non potuit tanta pugnantium multitudo brevi campo circumſcribi, debuitque adeo prælium omnem illam latam patentiſſimamque planitiem comprehendere, quæ Candium inter & Blandratum explicatur.

Potuit igitur prælium & ab Candio, & ab Raudio, & ab Eridano, & ab Urbe Vercellis nomen nanciſci; ſingula enim pugnæ loco adjacebant. Ita noſtra etiam ætate accidit: nos victoriam ab Comite Leopoldo Daunio Auſtriacorum Imp. in Boemia relatam adverſus Fridericum III. Boruſſiæ Regem *Cotemitziæ* nomine exornavimus; alii ex pago *Planiano* nominarunt. Neutri erravimus; ad utrumque Pagum pertinuit prælium. Ab Cymbricæ cladis loco non abeſt *Arcus Marianus* [*Comariano*] Marii victoriæ monumentum, de quo alio loco dixi (1).

III. Id unum videtur eſſe adjiciendum, quod etiam valebit ad vindicandam inſcriptionem (2), quæ ſpectat ad *Caſtra Marii;* quo nomine hodieque appellatur ab incolis, Oppidum Agri Novarienſis tertio ab urbe lapide, paulum correpto vocabulo *Camar*, monumentis illuſtre, & memoria Romanorum: urnæ enim ibi repertæ ſunt, & effoſſa numiſmata. Æquale fere huic oppido nomen apud Aquas Sextias in Galliis reliquit Marius: loco enim, ubi ille caſtra fecerat contra Theutones, & Ambrones, nomen eſt *Caſtra Marii*, vulgo *Camarque*.

Tra-

(1) *Lettere Lombarde* Lett. 6.
(2) G. F. Inſcriptiones. Inſcr. ccxv.

Tradit ſuperius commemorata inſcriptio, ibi de pugnæ loco, & die conveniſſe inter Romanos, & Cymbros: videri poteſt jacta temere conjectura; multa tamen, ita ut ſentiam, faciunt. Cum dies fuit locuſque prælio indictus jam Marius appropinquaverat Barbaris; jam Bojorix Cymbrorum Rex procurrens, obequitanſque explorarat caſtra Romanorum, dictiſque laceſſiverat: igitur jam Marius deducto exercitu per Inſubrum fines, cujus itineris indicia manent in ſuperiori Inſubria, jam, inquam, Ticinum trajecerat, & III. P. M. ab flumine caſtra fecerat ad memoratum oppidum. Illum ulterius progreſſum fuiſſe, alteraque ante pugnam caſtra feciſſe non eſt veriſimile; neque vero in tanta propinquitate loci, ubi pugnatum eſt, debuit. Etenim Caſtra Marii minus unius diei militaris itinere abſunt a Campis Raudiis, VIII. circiter M. P. Cum autem in iis Campis decretum fuiſſet prælium, quid Marius nova caſtra metaretur extra pugnæ locum, quo brevi ſpatio pervenire poterat? Et vero, ut refert Plutarchus, poſt denunciationem prælii eduxit Marius exercitum, cumque perveniſſet, ubi locus erat deſignatus, inſtruxit aciem, & dimicavit. Non itaque videtur profectus aliunde, niſi ex iis caſtris, quæ ejus nomen retinuere. Brevius, & ſtrictim: in iis caſtris convenit inter utroſque de prælii loco & die, ex quibus ultimo profectus eſt Marius; atqui ex loco, cui *Caſtra Marii* nomen, ultimo profectum, & progreſſum fuiſſe C. Marium ad Campos Raudios, locorum propinquitas docet.

* * * *
* * *

DIS-

DISSERTATIO V.

DE VICECOMITUM ORIGINE PRINCIPATU PROPAGINE

DISSERTATIO PRIOR

QUÆ EST DE STIRPE

MATTHÆI MAGNI.

UT in hanc Quæſtionem, quæ eſt de Vicecomitum Gente, ingrederer, movere me primum Inſcriptiones geminæ annis ſuperioribus, qua neſcio de cauſa, confectæ. Cum enim illæ Vicecomitum amplitudinis exordia attingerent, atque illa affirmari quidem, ſed neque pauculis verbis confirmari poſſent, intelligebam non celeri, levique calamo, ſed gravius ac diligentius rem omnem explicari oportere. Hoc me conſilio ſcribentem rapuit ipſa argumenti magnitudo in admirationem nobiliſſimæ, præſtantiſſimæque Gentis, cujus memoriæ, ac nomini plurimum debet, debebitq. ſemper Inſubria. Itaque unam meditanti, inexpectato duplex ſubnata eſt Diſſertatio: prior quidem de Matthæo Magno Mediolani Principe ejuſque propagine, altera de Uberto Matthæi Fratre germano ejuſque liberis, ac poſteris. Quamobrem eas de *Origine*, *Principatu*, & *Propagine Vicecomitum* inſcribendas ſtatui, tametſi minime omnes

nes Vicecomitum Familias amplectatur: ſunt enim nonnullæ adhuc, florentque ſplendide ex eadem omnino ſtirpe, multoque ante Matthæi Magni Principatum, deductæ, ac propagatæ. Sed enim omnis iſta inquiſitio plus operis quam poſſem, plus monumentorum, quam privato conſilio hæc ſcribenti præſto eſſent, poſtulabant. Igitur neceſſario in Regnatrice, & Regnatrici proxime adhæreſcentibus Familiis omnis conſtitit quæſtio.

I. Vicecomitum originem Corius, Blondus, Georg. Merula, Monſterus aliique ad progeniem Deſiderii Langobardorum Regis referunt. Huic famæ Venceslaus, & Ferdinandus III. Aug. non uno favere Diplomate. Conjectura etiam quædam videtur accedere ex veteri monumento, cui ſubſcripſere Epiſcopi duo: etenim (1) legitur. *Nos Othonus filius quondam Riprandi Vicecomitis, & Allus filius quondam Richardi, Avus & Abiaticus, qui profeſſi ſumus nos ex Natione noſtra lege vivere Longobardorum*. Sed Deſiderianam commentitiam originem refellendi alius erit (2) locus quod vero ad allatum monumentum attinet, non video, quid probet niſi Othonum, & Allum, illos Riprandi & Richardi filios natione Langobardos fuiſſe fortaſſe, & legem Langobardicam profeſſos, non ſecus ac alii Romana, aut Salica vivebant.

Multo ante hunc Othonem Petrus quidam Vicecomi-

(1) Inſtrum. dat. in Caſtro Cotii an. 1108. Febr. 14. Vide *Stemma Gentilitium Theobaldi Vicecomitis Edit. Mediol.* an. 1654.

(2) Vide Diſs. de Angleria.

cecomes (1) legitur ſub finem noni ſæculi magno loco natus, quippe qui ſubſcripſerit Diploma Caroli Craſſi in gratiam Mediolanenſis Cœnobii Ambroſiani. Sed Familiarum nomina eo ſæculo cum nondum revixiſſent (cœpere enim vix poſt Milleſimum) debet Petri hujuſce Vicecomitis cognomen fuiſſe dignitatis, quod deinde Familiæ adhæſerit. Cæterum Gentis diu Italiæ Principis, atque in Inſubria Regnatricis, poſtquam autem imperio ceſſit, dignitate adhuc, amplitudineque clariſſimæ primam originem antiquiſſima ipſa temporum obſcuritas occulit; an vero a Comitibus Angleriæ profecta ſit, dicemus, quando de Angleria diſputabimus.

II. Equidem ſæculo XII. occurrunt paſſim Vicecomites in Conſulibus, Ducibus, & Legatis Mediolanenſium (2) ante poſtque excidium Urbi illatum a Friderico I., ſed quod omnino poſſumus affirmare nixi fide incorrupta tabularum & monumentorum, quæ Patri Filium, Nepotem Avo, ordine, nexuque perpetuo temporum ſubjiciunt, ſic habet, ut Riprandus, quem plerique HERIPRANDUM, & Heliprandum, Volfangus autem Lazius Hilteprandum (3), vocant, hic, inquam, jam tum A. 1036. principem ferme locum habebat in Mediolanenſi Republica. Florebat enim plurimum militari laude, & Vicecomitem Archiepiſcopi in urbe gerebat, ampliſſimum ſane munus, cujus officium ſic declarat

Si-

(1) Triſt. Calcus Hiſt. Med. ad A. 881. l. 5. p. 108.
(2) V. Triſt. Calchum A. 1115., 1158., 1160., 1162., 1173., 1185. &c.
(3) Volf. Lazius de Migrat. Gent. l. 12. p. 824.

Sigonius (1): *Mediolanenſes autem ad hæc induxit inprimis Archiepiſcopus, penes quem cum delectis duodecim ex ipſa nobilitate Conſulibus totius erat Civitatis imperium; nam jus vitæ, neciſque habuit, unde Comitis nomen tulit, ac jus illud per Vicecomitem exercuit. Vicecomes autem gladio ſtricto prælato incedebat, atque omnia cum Conſulibus negotia peragebat.*

Heriprandum plerique Hiſtorici (2) & Chroniſtæ Facii, ſeu Bonifacii Comitis Angleriæ filium eſſe contendunt; alii vero Facii fratrem, & Obizonis Angl. Com. filium (3) volunt. Nobis cum fabuloſa omnino videantur, quæ de Angleriæ Comitum ſerie ſunt tradita, ſatis fuerit in Heriprando ſtatuere Vicecomitum gentis propagationem certiſſimis obſignatam monumentis ad hanc uſque ætatem. Quibuſcumque is tandem progenitoribus fuerit uſus, magnus certe vir, & in Mediolanenſi Republica Princeps eſt habitus, ut jure liceat exiſtimare ſummo illum, atque ampliſſimo loco natum; atque ab illo Vicecomitum cognomen conſtanter in Nepotes tranſditum fuit. Per id enim tempus cognomina nominibus addi cœperant, quod ante non ſolebat; eaque ſive ab munere, ſive a Vicis, quod Mediolani frequenter evenit, ſive ab aliis rebus fuere deſumpta.

Heriprandus OTHONEM filium habuit, uti ex

(1) Sigonius de Regno It. l. 7. A. 973.

(2) Sanſovinus p. 9. Bergomenſis Eremitan. Supplem. Chronic. l. 12. ſub annum 1023. &c.

(3) Fannuſius Campanus Compend. Familiar. Nobil. Ital. l. 3. c. 3. Corius l. 1. A. 864. ubi Genealogiam ſubtexit Vicecomitum &c.

ex ſuperiori Monumento oſtendimus, *Nos Otho filius quondam Riprandi Vicecomitis*. Ridiculum eſt Genealogiæ Vicecomitum fidere, quam Lazius exhibet; is enim Othoni huic [*Ottum* ille nominat] Patruum tribuit Othonem, qui *ex Canonico Pagi Decii in Archiepiſcopum Mediolani electus fuerat*: uſque adeo præpoſtere in undecimum ſæculum retrudit, quod decimo tertio magnam jam partem expleto [1] accidit.

Otho Heriprandi Patris amplitudinem ſuſtinuit. In Expeditionem enim Hieroſolimitanam profectus, Duce Saraçenorum occiſo, galeam, nobile hoſtis ſpolium, induit, e cujus cono tortuoſæ viperæ forma exſtabat, infantem expanſis manibus evomentis (2); quod ſibi, & Nepotibus inſigne gentilitiæ laudis reliquit, de quo, ut reliquos mittam, Taſſius cecinit.

O 'l forte Otton, che conquiſtò lo Scudo,
In cui dall' Angue eſce il Fanciullo ignudo (3).

Henricum deinde V. Auguſtum ſecutus a Romanis captus, & interfectus eſt, quod irruptione facta civium, Cæſari, equo ſuo oblato, evadendi ex eorum manibus opportunitatem tribuiſſet (4). Landulphus a S. Paulo, qui res Mediolanenſium ſcripſit ab anno MLXXXXVI. ad annum MCXXXVI., eaq. vivebat ætate, de illo ſic: *Otho autem Mediolanenſis Vicecomes cum multis pugnantibus ejuſdem Regis* [Henrici] *in ipſa ſtrage corruit in mortem amariſ-*

(1) Lazius l. 12. (2) Sigonius R. I. l. 9. A. 1099.
(3) Taſſo Geruſal. c. 1. St. 55.
(4) Sigonius l. 10. Landulphus a S. Paulo, ſeu Junior c. 18. V. T. V. Script. Rer. Italicar.

riſſimam omnibus diligentibus civitatem Mediolanenſem, *& Eccleſiam*. Eadem habet Sigonius, & Baronius ad annum MCXI. Magnificentius tamen Conradus III Henrici Fil. Diplomate ſuo illum *pro fidelitate Regni* a Romanis interfectum teſtatur, uti mox afferam.

III. Othonis I. Vicecomitis filius GUIDO, ſeu Wido, anno MCXLI. *Curte Maſſini*, locifque omnibus ad eam pertinentibus donatus eſt a Vernerio Abbate S. Galli. Triſt. Calchus ait A. MCXXXIV. Widonem fuiſſe inſtitutum Abbatem Maſſini: duplex error, namque nec Abbas eſt inſtitutus, nec Maſſinum Widoni collatum, niſi ſeptennio poſt. Neque dicendum eſt Calchum rerum ignarum hæc affirmaſſe, namq. eodem loco tradit Monumenta Vicecomitum ſe (1) vidiſſe. Sed ille & hic, & alibi plura diſſimulat, quæ ad Vicecomitum decus pertinent; itaque iis eſt habitus minus æquus. Placet hic Diplomatis magnam partem dare.

Nos in Dei nomine (2) *non immemores liberalitatis, & laborum bene dilecti Widonis Vicecomitis Mediolanenſis, qui ad noſtram defenſionem nullis impenſis pepercit, neque fatigationes ullas omiſit, maxime ad defenſionem Abbatiæ noſtræ Sanctæ Mariæ de Maxino, & Eccleſiarum, & Capellarum ejus, & præcipue cum alias nunc quondam Otho genitor tuus Eccleſiam a fundamentis erexerit, quam Archangelo Michaeli dicatam eſſe voluit, & præfatæ noſtræ Abbatiolæ dicavit, nil aliud nobis imponens, quam Eleemoſinam librarum decem ceræ puræ*,

(1) Calc. l. 7. p. 158.
(2) Dat. A. 1141. V. St. Theob. p. 36.

ræ, quotannis ſemel faciendam Templo S. Teclæ Mediolani, eamque convenienti dote locupletavit; quapropter Nos Wernerius Abbas Monaſterii S. Galli, & Fridericus Præpoſitus ejuſdem Abbatiæ, & Hildebertus Decanus, & Wildelfricus Procurator prædicti Monaſterii, a parte & nomine Capituli Monachorum dicti Monaſterii S. Galli Conſtantienſis, facimus puram, & irrevocabilem donationem, tranſactionem, & refutationem tibi Widoni Vicecomiti Mediolanenſi, & filiis, & deſcendentibus tuis maſculis & fœminis nominatim de tota Curte Maxini cum omnibus ſuis pertinentiis, ſita in ora lacus Verbani, ubicumque ſita ſint, ſive in Lombardiæ partibus inveniri poſſint, tam in Comitatu Stationenſi quam alibi, ſive in Epiſcopatu Novarienſi, ſive Mediolanenſi, cum omnibus ad eamdem Curtem pertinentibus in omni juriſdictione temporali, item de Domo, Cultili, Maſſaritiis, Caſis, Sediminibus, teloneis, montibus, vallibus, planitiebus, Campis, pratis, vignalibus, paſcuis, ſilvis, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, & etiam ſcalariis, ſaletis, ſationibus, paludibus, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, piſcationibus, comparitiis, aliiſque reditionibus, cum ſervis & ancillis, aldionibus, & aldianis utriuſque ſexus, cum omnibus, quæ dici, aut vocari poſſint, ad prædictam Curtem pertinentibus, atque de judicio candentis ferri, atque Monomachiæ, & duelli: tibi donantes, & cedentes prædicta omnia, ſicuti conceſſa fuerunt dictæ Eccleſiæ Maxini per Regem Deſiderium, quando eam purificari, & Sanctæ Mariæ conſecrare fecit, & ſicuti prædeceſſoribus noſtris, & conventui S. Galli conceſſa & commendata fuerunt per Imperatorem Carolum Magnum

gnum Auguſtum, & Reges, & Imperatores, ejus ſucceſſores. Concedentes etiam tibi facultatem aſſenſum præbendi in electione Prælati, & Clericorum, canonice facta: & nobis prorſus reſervantes, aut cui conceſſerimus jura Eccleſiaſtica, ſcilicet fundationes, & conſecratines Eccleſiarum, & Cemeteriorum, & promotiones Clericorum, & inveſtituras Præbendarum: Item judicium Matrimoniorum, & donationes pœnitentiarum, Chriſmatis, & Baptiſmi, interdictiones, & excomunicationes in populis, & omnem ordinationem in Eccleſiis; dummodo de prædictis nos & ſucceſſores noſtros recognoſcas in Advocatiam, & defenſionem noſtram ac dictæ noſtræ Abbatiolæ, & Eccleſiarum ejus, quam tibi, & ſucceſſoribus tuis tradimus, & commendamus, & ſpetialiter conſignamus: imponentes tibi Widoni & ſucceſſoribus tuis annuam penſionem, nomine recognitionis tam præſatæ Eccleſiæ S. Mariæ, quam conventui noſtro ſcilicet dictæ Eccleſiæ in feſto Aſſumptionis Sanctæ Mariæ omni anno marcam unam argenteam, & dimidiam, & in Conventu Noſtro, ſeu Abbatia S. Galli conſignabis ſaltem per nuncios tuos, ſeu ſucceſſorum tuorum, libras decem piperis, & totidem Cucheris, & ſextaria quatuor olei, & centum cyathos vitreos; accipiens chartam recognitionis ab Abbate per tempora. Promittimus etiam inſuper tibi omnem protectionem, & interceſſionem, ut quam citius auctoritate Imperiali de prædictis, & in prædictis omnibus tu, & ſucceſſores tui confirmationem habeatis, atteſtantes de noſtra bona voluntate, ac gratuita deliberatione &c.

Confirmavit autem Conradus III. Imp. inſequenti anno; atque hæc ejus verba: *Notum ſit*

tam

tam præſentibus, quam futuris, quod Wernerius Abbas Sancti Galli conſilio omnium Fratrum ejuſdem Monaſterii advocati, & omnium Miniſterialium, imbeneficavit. Widonem Vicecomitem Mediolanenſis Civitatis, & filios ejus, & filias, vel cuicumq. ipſi donaverint, nominative de omnibus, quæ poſita ſunt in Curte Maxini, ubicumque inveniri potuerint ad ipſam Curtem pertinentibus in Longobardiæ partibus. Ne vero amplius alia conditio de hoc inter eos fiat, ſed ſicuti dictum eſt, immutabiliter permaneat; rogavit me idem Abbas Sancti Galli, ut Regio ſigillo meo confirmarem. Præcipimus ergo ex noſtra poteſtate ne umquam immutetur, ſed ſicuti dictum eſt firmum permaneat [1].

Paulo poſt hoc tempus Wido obierat; id conjicimus ex alteris litteris, quibus Conradus OTHONI, ejus filio eodem anno memorata confirmavit his verbis: *Quapropter notum eſſe volumus, qualiter nos fideli noſtro Othoni, filio Widonis Vicecomitis Mediolanenſis, cujus Avus pro ſua fidelitate Regni a Romanis fuit interfectus, Curtem Maxini cum omnibus pertinentiis per hanc noſtram præceptalem paginam in beneficium dedimus, & inſuper Forum de Albizate, & Beſnate, præſente auctoritate eidem Othoni, ſuiſq. hæredibus confirmamus, & corroboramus* [2].

Denique Otho confirmationem etiam ab Wlderico Abbate S. Galli obtinuit eorum omnium, quæ patri ſuo collata fuerant ab Wernerio, confectaque eſt confirmatio *Cumi* MCLXXXIX. VII. Maji, ibi-

(1) Dat. Ulmæ A. 1142. V. Stem. Theob. p. 38.
(2) Ibid. p. 40.

ibique legitur: *Confirmamus tibi Othoni Vicecomiti Mediolani filio quondam Widonis Vicecomitis, & filiis tuis Maſculis, & Fœminis & Nepotibus tuis filiis Mazochi & Gulielmi, atque hæredibus nominative de tota Curte Maxini ubicumq. in præſentibus Lombardiæ partibus inveniri potuerint, nobis prorſus reſervantes, & eximentes, aut cui commiſerimus, omnia ſpiritualia &c.* [1].

Atque ut hæc etiam adjiciamus, quæ huc pertinent, memoratum Privilegium recognitum a Conſulibus Mediolanenſibus fuit in Palatio Communitatis A. MCCCXVII. XXII. Novembris, & MCCCCLIX. XXVI. Septembris; poſtremo a Carolo V. Bruxellis A. MDIL. VI. Jul. [2].

Otho Conſulatum gerebat, cum Mediolanum iterum a Friderico I. fuit obſeſſum [3], deſtinatuſque eſt ad Cæſarem, ut deditionem Urbis faceret. Diruta tum atque exciſa Patria fuit, ejus tamen reſtitutioni Otho ſuperfuit, & Conſul iterum fuit: nominatur enim [4] in ſententia a Conſulibus data VI. Nov. A. MCLXXXII.

Non eſt conſilium Genealogiam omnem late fuſam Vicecomitum explicare; quoniam tamen non abſumus ab Othone Vicecomite Archiepiſcopo, qui in ſuam Familiam intulit Mediolanenſem Principatum, lubet nonnulla etiam perſequi.

VI. Othonem excepit UBERTUS ejus filius: id conſtat ex Inveſtitura & ratificatione, ut vocant, facta

(1) Dat. Cumi 7. Maji 1179. V. ib. p. 41. (2) Ibid.
(3) Corius & Triſt. Calchus ad A. 1162.
(4) Stem. Theob. p. 42.

facta inter nonnullos Vicecomites, & Dominos Maſſini: [plures enim jam propagines habuerat Familia, quarum aliquæ ſuperſunt] in iis autem nominatur *Dominus Ubertus filius quondam Domini Othonis Vicecomitis*. Rogata eſt autem ratificatio in Foro Angleriæ per Girardum de Buſco Notarium. A. MCCIII. XVII. Octobr. [1]. Alia vero per Bernardum de Angleria A. MCCVI. 1. Jun. ait: *Dominus Otho, Ubertus, & Heriprandus, & Joannes Fratres Vicecomites, filii quondam Domini Othonis, uti major pars Dominorum Curtis Maxini, ac deſcendentium quondam Othonis Militis*, illius ſcilicet, qui fuerat a Romanis interfectus.

Juverit Heriprandi hic memorati meminiſſe; Vercellenſem enim Epiſcopum gerens, cum obiiſſet, delatus eſt in oppidum Seprium, inibique tumulo donatus, ut mox dicemus. Sed Ubertus ſingulari prudentiæ, & æquitatis laude cum floreret, Mediolani quidem Conſulatum, Veronæ autem, Bononiæ, Tarviſii Præturam adminiſtravit, & Liberos reliquit ex Anaſtaſia Pirovana uxore *Othonem* Archiepiſcopum Mediolanenſem, Magnum ob virtutem, animique amplitudinem nuncupatum, cui Principatum Mediolanenſem Vicecomitum Familia debet; ANDREOTTUM ſecundo natu, & *Ubertum* poſthumum Epiſcopum deinde Albentimillienſem; præterea *Azzonem*, & *Gaſparem*, qui mirus Hiſtoricis cogniti fuere, ſed nominantur ab Alberto Sarazono Mediolanenſi Scriba [2] A. 1256.

Ex

(1) St. Theob. p. 47.
(2) Inſtr. rog. Aronæ 1. Aug. 1256. ibid.

Ex Andreotto extitere THEOBALDUS, & *Petrus*; de quibus Oliverius Lignacius (1) A. MCCLXXI. 1. Febr. *Modo præſatus nunc Reverendus Dominus Otho Archiepiſcopus Mediolani, filius quondam Domini Uberti Vicecomitis facit donationem Dominis Petro, & Theobaldo Fratribus, filiis quondam Domini Andreoti, & præfati donatoris Nepotibus* (2).

Neque eſt prætereundum ea ætate, qua Otho Magnus, fratriſque ejus filii florebant, Vicecomitum juris jam tum Somam (*Somæ*) fuiſſe; idq. oppidum Caput Seprii Juriſdictionis tunc habitum declarat monumentum in hæc verba, quod ad hunc Petrum Vicecomitem pertinet. *Dominus*, inquit, *Petrus Vicecomes Civis Mediolani de præſenti moram trahens in oppido ſuo Somæ, capite jurifdictionis Seprii &c.* (3) Quo teſtimonio duo ſe nobis offerunt obſervatu digna, alterum Somam oppidum multis nominibus præſtantiſſimum, cujus eſt ditio in pagos plures tributa, diſtinctaq. prærogativis longe maximis, ex illo in Familia a Parentibus in Filios jure perpetuo uſque in hanc diem manſiſſe: alterum vero eſt Comitatus Seprii jus ampliſſimum in hoc Oppido reſediſſe certe ad aliquot annos quaqua demum de cauſa, quod non eſt hujus loci quærere. Certe hinc videtur intelligi, cur Heriprandus Vicecomes Epiſcopus Vercellenſis, quem ſuperius memoravi, poſt mortem in Caſtrum Seprii delatus fuerit. Cum enim Seprii comitatus magna pars ad Vicecomites pertineret, ea de re, *quia is erat ex*

Gente

(1) Inſtrum. confectum Aronæ 1. Febr. 1271. V. ibid.
(2) Ibid.
(3) Inſtrum. rog. Gallarati 22. Jun. 1251. ibid. p. 48.

Gente Vicecomitum (1), *ejus cadaver in Caſtro Seprii fuit ſepultum*, ait Calchus.

V. Ipſa, jam res poſtulat, ut non progrediamur, quin expendantur, quæ poſt Triſt. Calchum Jovius, & Ripamontius tradiderunt de mediocri tum temporis Vicecomitum ſtatu. Ajunt enim Othonis Archiepiſcopi Familiam tenui admodum in re familiari fuiſſe, vixque in cenſu domeſtico *ignobilia* quatuor oppida habuiſſe ſcilicet Invorium, Maſſinum, Vergantem, Olegium: Othonem autem obſcuris atque *humilibus ſacerdotiis contentum fuiſſe* (2).

Horum ego, ſed præcipuè Calchi conſilium deſidero. Quis enim deſpiciat & humili gradu, locoq. habeat virum, qui & Oppidi Decimi Præpoſitura tum illuſtri atq. ampla, & duplici Canonicatu, in Metropolitana ſcilicet, & Ambroſiana Baſilica uno tempore frueretur? Atqui Calcho ipſo teſtante hæc in unum Othonem incrementa dignitatum collata fuerant, quarum ſingula haud equidem erant pœnitenda. Hiſtoriis enim patriis conſtat ſummam ſemper habitam fuiſſe rationem Metropolitanæ hujuſce, & Ambroſianæ Baſilicæ Canonicorum, atque ex his gradibus nonnullos ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem, & Cardinalatum Romanum fuiſſe evectos.

Vicecomitum autem res familiaris non uſque adeo erat tum tenuis, ut vicis quatuor, iiſque obſcuris circumſcriberetur. Neque enim vici, aut nullius nominis dicenda ſunt oppida Maſſini, & Verganti, quorum erat ditio in bene multos pagos fuſa.

(1) Triſt. Calc. l. 3. p. 269.
(2) Triſt. Calc. l. 16. init.

ſa. Sed enim certa monumentorum fide ſcimus in Othonis Familia ſplendorem fortunæ, rerumque amplitudinem tantam fuiſſe, quantam privatus quiſque, ſi nunc etiam obtineret, abunde locuples & beatus opinione hominum haberetur. (1) Summo enim jure late cis, tranſque Verbanum lacum dominabatur, Maſſino, Invorio, Verganti, Oleggio, Somæ, Gulæſiccæ, Vergiato, Puteolato, Ferno, Crenæ, Albizato, Beſnato, Aliarago, Mezzanæ, Oppidis pleriſque illuſtribus, quorum etiam multa circumjectam regionem vicis, pagiſque diſtinctam comprehendebant.

Ad hæc, cum Otho Fratres nactus eſſet quatuor, in quos, uti tum erat receptum Lege Langobardica, As Patrius erat diremptus, ita invenio, Andreotti, (is, ut vidimus, Othonis Archiepiſcopi erat Frater) Andreotti, inquam, Filium Petrum magna in re familiari fuiſſe, quam a Patre perceperat, antequam in familiam perveniſſet Mediolanenſe Imperium. Placet hic ex tabula erciſcundæ hæreditatis cauſa inter Petrum, ejuſque Fratris Filios confecta afferre aliqua (2): *Diviſionem concorditer fecerunt Dominus Petrus Vicecomes ex una parte, & Dominus Maffeus & Ubertus Fratres, nepotes ejus ex alia: in qua diviſione obvenerunt in partem dicto Domino Petro omnia ſedimina terræ, & poſſeſſiones & res territoriæ, & honor, & diſtrictus, & ficta, & Vaſſalli, & Decimæ quæ, & quas habent, tenent, & poſſident, videlicet quaſi in loco & territorio de Beſnate cum omni ſua integritate: & item in loco*

&

(1) *Genus Jo: Galeatii Vicecomitis Ed. Mediol.* 1671.
(2) Stem. Theob. Vicecom. p. 51.

& territorio de Aliarago de monte, & de plano cum omni integritate, & item in loco & territorio de Albizate, & item in loco & territorio de Albuzago, & item in loco & territorio de Crena, & item in loco & territorio de Roate, in loco & territorio de Solario, & in loco & territorio de Brunello, & in loco, & territorio de Maxino, & in aliis locis & Villis, quæ ſunt ultra lacum. Item Curaria, utilitas, & jura Curariæ, quas habent in Mercato Burgi de Gallarate. Viceverſa obvenerunt in partem ſupraſcriptis Dominis Maffæo, & Uberto omnia ſedimina terræ, & poſſeſſiones, & res territoriæ, & honor, & diſtrictus & ficta, & Vaſſalli, & Decimæ, quæ & quas habent, tenent, & poſſident, vel quaſi, in loco & territorio de Soma, & in loco & territorio de Varigate, & in loco & territorio de Gulaſicca, & in Burgo & territorio de Lonate Puteo Alto, & in loco & territorio de Ferno (1). Ex his porro, quæ Calchus aut ignoravit, aut diſſimulavit fortaſſe ut alia nonnulla ad Vicecomitum dignitatem ſpectantia, uti alias diximus, nemo non intelligit, qua amplitudine, quibuſque clientelis florerent Vicecomites etiam antea, quam rerum ſumma potirentur Mediolani.

Quæ autem, quantâq. eſſent amplitudine ædes, quas Mediolani habebant, docent tabulæ privatæ de Ceſſione A. 1256. facta Othoni Vicecomiti ipſi illi, qui poſt quinquennium Archiepiſcopus, poſt annos paulo amplius viginti Mediolani Princeps fuit.

Cum

(1) Vide integrum Inſtrumentum ap. Vulpium *Hiſtoria de' Viſconti &c.* Napoli 1748. T. 2. p. 3.

Cum (1) *olim Domini Gaſpar Azo & Ubertus fratres, filii quondam Uberti Vicecomitis de Mediolano, & Lodovicus filius præfati Gaſparis, & Guido filius præfati Azonis, omnes Cives de Mediolano, feciſſent ceſſionem, ſeu reſignationem de nonnullis bonis inferius deſcriptis, Reverendo Domino Præſbytero Othoni, fratri eorum & patruo: videlicet de domo & hoſpitio, jacente in Parochiis Sancti Joannis ad fontes, & Sanctæ Theclæ Mediolani, Portæ Romanæ: cui cohæret a mane Vicus Magnus, a meridie domus Domini Othonis, filii quondam Domini Andreotti Vicecomitis, & in parte Vincentii & Dalfinoli de Aliate, a ſero ſtrata, a monte domus Credentiæ, & in parte Algiſii Toſcani, ac Leonis Malumbræ, Boſchini Montegatii, & Altirontis Nadini &c.*

Vidimus ſuperius ubi de Tibaldo fuit ſermo, Othoni jam Archiepiſcopo *Reverendi* titulum tributum, *modo præfatus nunc Reverendus Dominus Otho Archiepiſcopus:* cum autem idemmet in hac tabula, licet privatus Sacerdos, eodem omnino, quo poſt adeptam dignitatem, honoris titulo donetur, pronum eſt conjecturam facere amplitudinis Vicecomitum: neque enim, niſi Familiæ ergo potuit addecere Præsbyterum perhonorifica appellatio, & Archiepiſcopo communis.

Quam ob rem cum is eſſet Oppidorum numerus, quæ in Vicecomitum ditione erant; ea urbarum Ædium amplitudo Parochias, viaſq; duas, totque Civium domos contingens; ii denique tituli, eæque Dignitates Othonis, intelligo nonniſi oſcitanter,

(1) Inſtr. rog. ab Alberto Sarazono I. Aug. A. 1256. Stem. Theob. pag. 47.

ter, aut per invidiam ea potuiſſe perſcribi, quæ de tenui atq. exili fortuna Othonis Archiepiſcopi ſuperius allati Scriptores aſſeruere. Sed hæc ſint ſatis: hoc tantum videntur Lectores admonendi iis inſtrumentis, quæ ex Stemmate Theobaldi Vicecomitis attuli, atque afferam, ſummam habendam fidem etiam propterea, quod in authentica, ut ajunt, forma Senatui Mediolanenſi oblata fuere, planeque recognita: Ad Vicecomitum ſeriem redeo.

VI. Ex Andreotto igitur Othonis Archiepiſcopi fratre THEOBALDUS, ſeu Tibaldus & *Petrus* extiterant; ex Theobaldo denique MATTHÆUS & *Ubertus* fratres. Horum prior dominatus Inſubriæ, ſuæ ſtirpi reliquit hæreditarium Mediolanenſe Imperium: alter propagines plures inſtituit, de quibus alio loco erit dicendum. Matthæo, Maffæi etiam nomen fuit, & Magni cognomentum; Uberto nomen etiam Ubertini, & Picci agnomen tributum. Fratres germanos fuiſſe declarat paulo ante allata Bonorum diviſio inter Petrum Vicecomitem, & Matthæum ſeu Maffæum, & Ubertum Fratres: *Diviſionem concorditer fecerunt Dominus Petrus Vicecomes ex una parte, & Domini Maphæus & Ubertus fratres, nepotes ejus, ex alia*. Duo præterea Inſtrumenta (1) accedunt: in altero quidem rogato per Gulielmotum de Alegro Scribam Mediolani A. MCCLXXVIII. XXIV. Februar., hæc habentur: *Dominus Ubertus Vicecomes, dictus Piccus, filius quondam Domini*

(1) Inſtr. rog. ab Guglielmoto de Alegro Mediol. 24. Febr. 1228. alterum rog. per Euſeb. Batacham 1295. 4. Jun. in Stem. Theob. p. 53.

mini Tibaldi facit abſolutam liberationem nobili & generoſæ Dominæ Anaſtaſiæ de Pirovano, matri ſuæ, relictæ Domini Tibaldi, Patris ſui. Quod actum eſt coram Domino Maphæo, ejus Fratre, & dictæ Dominæ filio. Alterum autem *Dominus*, inquit, *Ubertinus Vicecomes concedit facultatem promittendi, ſeu dandi, vel conſignandi dictæ Dominæ Beatrici ſorori ſuæ, nomine dotis, bona dicti Ubertini ſita in Oppido de Ferno, quæ ſunt medietas illius Oppidi ei obventa in diviſionibus cum Domino Maphæo ejus Fratre &c.* Sed præter has aliaſque plures tabulas privatas & publicas, & omnium auctoritatem Scriptorum, quæ Matthæi & Uberti germanitatem probant, auctoritas accedit ex duplici Senatus Mediolanenſis diplomate. (1) Cum enim Vicecomites Somæ genus ſuum expendi poſtularent, Senatus has litteras dedit A. 1562. 13. Maji. *Proinde inſpectis etiam nunc Civitatis hujus Annalibus, nec non publicis tabulis teſtamentorum aliiſque Scripturis authenticis, fidem facimus iis omnibus, ad quas hæ noſtræ pervenerint, Vicecomitem hunc genus deducere a clariſſimo & fortiſſimo Uberto Vicecomite, fratre Matthæi ejus, qui ob res domi, foriſque clariſſime geſtas Magni cognomen eſt adeptus.* Aliæ datæ fuere (2) litteræ A. MDCXLII. XXIV. Septembris, in iiſque legimus: *Conſtat tum inſpectis Urbis Annalibus, tum lectis publicis documentis, ea in re tunc exhibitis, genus illius Vicecomitis ortum trahere a clariſſimo & fortiſſimo Viro Uberto Vicecomite Fratre Matthæi, qui ob res domi foriſq. clariſſime geſtas,*

(1) Ibid. (2) V. apud Vulpium integrum Diploma T. 2. Hiſt. Vicec. p. 244.

geſtas, *Magni nomen eſt aſſecutus*. Ab Uberto ad hoſce Vicecomites Marchiones Somæ præſto mihi eſſet ſeries explorata avorum Patriciorum, ducta, explicataq. perpetuo tabularum publicarum teſtimonio, & certiſſima Monumentorum fide. Sed neque hoc loco id mihi ad ſcribendum ſumpſi, cui ſatis eſt impræſens originem, & Principatum Vicecomitum explicare, quoad licet, ab ipſo exordio, quo cognomen illuſtre invaluit, Familiæque adhæſit; & ad omnium Vicecomitum, qui ab Uberto prognati, dignitatem eſt ſane ampliſſimum generis auctorem Ubertum habuiſſe, ſummo loco habitum in ea Urbe, cujus Principatum Frater ejus obtinuerat, & propaginem emiſerat dominantis in Inſubria ſtirpis.

Atque hinc profecto accidit, ut Duces Vicecomites, Somæ dominos inde profectos amarent, obſervarentq. ſemper conſanguineos veluti, & agnatos; Philippus autem Maria Vicecomes Dux III. Mediolani illud omnino ſingulare de iis prædicaret, quo neſcio, an quid magnificentius quiſquam poſſit expetere. Cum enim A. MCCCCXXXXV. ſanxiſſet (1) *quod nullus Ruſticus portaret diviſiam in Caligis & Zorneis*, declaravit *non comprehendere homines Illuſtrium Vicecomitum Somæ, ea ratione, quia eis de jure non poterat jubere*.

Hujuſce conditor Stirpis Ubertus obiit An. MCCCXV., mortemque ejus commemorat Triſt. Calchus (2): *Sequitur Annus Decimus quintus ſupra mille trecentum, quo Ubertus Vicecomes, Matthæi fra-* *ter-*

(1) Stem. Theobaldi p. 64.
(2) Triſt. Calchus ſupplem. l. 21. p. 8.

ter magno ejus mœrore, atque incommodo deceſſit. *Elatus honorifice fuit Nono Kalendas Majas in Ædes Euſtorgianas.* Ejus tumuli mentionem facit Liber Sacrariorum, & Sepulchrorum Euſtorgiani Templi in hæc verba: *Capella Major noſtræ Eccleſiæ S. Euſtorgii eſt Dominorum Vicecomitum deſcendentium ab Uberto fratre Magni Matthæi Vicecomitis. Qui Ubertus, mortuus eſt anno Domini* 1315., *& delatus in ſua Capella, a quo veniunt Domini de Soma.* Sed nimis fortaſſe de his multa diximus hoc loco.

Jam quomodo Matthæus, ejuſq. Liberi Principatum fuerint conſecuti, tametſi id omnes fere Italiæ Hiſtorici tradunt, paucis perſtringo. Id enim Oppidi Decimi Inſcriptio poſtulat; quo loco oppreſſi fuere Turriani, qui Capitanei, ut vocabant, cum eſſent Populi Mediolanenſis, Dominatum arripuerant, infeſtique Nobilibus pleroſq. Patria exegerant: atq. hi ad Othonem Vicecomitem refugerant, quem A. MCCLXI. ab Urbano IV. S. P. Archiepiſcopum Mediolanenſem renunciatum Turriani Mediolano prohibebant, & bello perſequebantur.

VII. Multos annos adverſa plerumque fortuna bellum ab Othonianis defenſum eſt, adeo ut Archiepiſcopus Patria extorris, nuſpiam ab armis, inſidiiſq. tutus, diverſa quotidie loca ſequeretur, numquam tamen non infracto animo atq. invicta conſtantia. Poſtremo deniq. arriſit fortuna; namq. Othoniani juſto exercitu conflato, cum in Inſubriam irrupiſſent, Turrianos, qui contra venerant, oppreſſere, Errat Sigonius cum (1) prælium diſpoſita acie, &

(1) Sigonius R. It. L. 20.

& magno utrimq. animo geſtum tradit: verius narrat Calchus (1).

Pleriq. ex Turriana Familia Principes irruptionis accepto nuncio cum non ita magna militum manu Urbe egreſſi præiverant, & Decimum [*Deſio*], quod eſt Oppidum X. ab Urbe lapide, præoccupaverant; dum inſequenti luce Populi Mediolanenſis exercitus perveniret cum Prætorio Curru, quem Carrotium appellabant. Erat autem plauſtrum ſtragula veſte inſtratum, quo Conſulis Tribunal vehebatur, alteq. explicatum Populi Mediolanenſis Vexillum præferabatur: hic ante plauſtrum quotidie Sacerdos exercitui Sacra faciebat. Octonis Bobus trahebatur: ſinguli ſtragulo diverſicolore obducti: latus enim dexterum erant coccinei, albi lævum. Octo Tubicines comitabantur; præibant Ductores, ſtipabant robuſtiſſimæ Juvenum Cohortes, devotæ morti pro Patria (2). Hoc Prætorium erat, hic adminiſtrandi prælii conſilia habebantur; ſaucii, aut propulſi huc refugiebant. Vir belli prudens plauſtri curæ præficiebatur, *Caroccerium* vocabant. Heribertus Mediolani Archiepiſcopus habetur hujuſce inventi auctor A. MXXXVIII. ejus exemplum ſecutæ plerçque ſunt Italiæ urbes inter Alpes, & Apenninum ſitæ.

Otho interim ex Novarienſium finibus progreſſus, auctuſq. Conſanguineorum, Amicorum, & Exulum auxiliis jam Seprienſem agrum, jam plura paulo latius oppida ultro facta deditione receperant. Prepoſitu-

(1) Triſt. Calchus l. 17. ad A. 1277.
(2) Vocabantur *Compagnie de' Gagliardi*, & *della Morte*.

ſituram, ut diximus, habuerat Oppidi Decimi, ibiq. annis ſuperioribus lenitate quadam morum, atque ingenii ſuavitate mira omnes ſibi conciliaverat. Hos indigna ſummi graviſſimiq. viri, & tamdiu caſibus inſidiiſq. adverſariorum jactata fortuna movebat: ex iis unus prima nocte ex oppido elabens ad Othoniana Caſtra pervenit, & Archiepiſcopum docuit in ejus eſſe manu, ſi uti velit, fortunam; horæ momento bellum poſſe confici, ſi adhibeat celeritatem: pauco equitatu ſtipatos in oppidum intuliſſe ſe ſe ſub veſperam pleroſque Principes Turrianæ Familiæ; negligentius Oppidum curari. Haud cunctatus Otho, atq., ut apud Decumanos manet fama, face e ſumma Templi Turre prætenta horam admonitus, qua conſopiti ſomno omnes jacebant, mora nulla præmiſſis cum equitatu Ducibus, ſilentio caſtra movet. Oppreſſis excubitoribus irrumpit in Oppidum exercitus. Turriani, qui tumultu facto non ceciderant, capiuntur: quo tempore cum milites, & præcipue Nobiles tamdiu a Turriana factione exagitati iram effunderent, & in repugnantes deſævirent, Othonis illa vox audita, digna Archiepiſcopo, nihil crebrius inclamantis, quam ut *parcerent ſanguini, & civibus*.

Moti repentinæ victoriæ nuncio Mediolanenſes Othonem ultro ad Urbem acceрſunt, omnem Rempublicam ejus gubernandam conſiliis tradunt. Debellatum eſt A. MCCLXXVII., atq., Otho diem S. Agnetis, quo victoria parta, ſolemnem eſſe juſſit, & ſacrum omni Inſubriæ. Itaque etiamnum eo die Civitatum Ordines magna pompa Myſteriis publice interſunt, ſolemnique ſacro adſtant eam ob rem.

rem. Ex illo Mediolanenſes Duces, Conſanguineiq. eorum in tutela Divæ Agnetis ſunt; eiq. Templa conſtituerunt. Turriani fruſtra reſtituere res ſuas conati, poſtremo plerique Aquilejam recepere ſe; habebant enim ſui generis Patriarcham Aquilejenſem.

VIII. Otho, ad longævam ætatem cum ei vita ſuppeditaviſſet, Matthæo Principatum moriens reliquit. Illum in primis diligebat; quod & ei magnus Patruus erat, & ſingulari illum virtute conſilioque parato ac prompto ad omnes caſus eſſe cognoverat. Itaque paulo poſt, quam rerum potitus fuerat, cum ſibi Urbis Imperium atque omnis fere Inſubriæ dominatum a volentibus Populis tribui vidiſſet, Sacris ſibi modo reſervatis, Matthæo rem publicam, adminiſtrationemque Principatus detulerat.

Matthæum ſeptem ab Othonis morte annos imperantem, quo ſpatio largitionibus & conſilio mire imperium amplificaverat, repente fortuna evertit. Nobilitatis enim conſpiratione, & amicorum perfidia circumventus Mediolano cedere coactus eſt, & Turriani res ſuas reſtituerunt. Annis novem in exilio toleratis, quin umquam animum deſponderet, poſtremo ſexagenario major Henrici Luxemburgici Imp. ope redux in Patriam, pulſis, attritiſq. Turrianis Mediolano iterum præficitur, & Rom. Imperii Vicarius conſtituitur. Decennio iterum imperavit; nec multum temporis ante obitum, quo ſe Guelphorum odiis ſubduceret, Principatum tranſtulit in GALEATIUM Filium. Errat fœde, ut alibi monui, Arthurus Duckius affirmans (1) FAMI-

(1) Art. Duckius *de uſu & auctoritate Juris Romanorum in Dominiis Principum Chriſtianorum* p. 141

MILIAM GALEATIAM Mediolano imperaſſe, hujus fortaſſe Matthæi filii nomine deceptus, quod nomen hic primus in Vicecomitum intulit familiam ſibi a matre inditum caſu quodam, vel potius joco. Cum enim ſub Gallicinium enixa fuiſſet infantem apertis, immotiſque oculis alte vagientem illum forte fortuna Gallacium appellavit ab galli gallinacei ſimilitudine, quem ardentibus oculis præferebat, ducto nomine, quod ancillæ acceperunt, vulgoq. domi puero impoſuerunt: At Matthæo Patri viſum auſpicato tributum, veluti ab Ave Martia acceptum, felici quodam militari Augurio: etenim qua nocte hanc hauſerat lucem puer, eadem illa profligati fuerant ad Decimum Turriani. Patris ſpem Galeatius ſuſtinuit, rebuſque præclare in Gallia, atq. Italia geſtis militarem famam & laudem adeptus eſt. Huic ACTIUS Filius ſuffectus, quo ſine liberis mortuo LUCCHINUS, & JOANNES Mediolani Archiepiſcopus Galeatii fratres in imperium venere, unaque regnarunt: Lucchino autem ipſo ſine ſtirpe decedente Joannes ampliſſimum ſolus late patentis tum Regni Mediolanenſis dominatum habuit, morienſque teſtamento hæredes appellavit MATTHÆUM II. BARNABOVEM, & GALEATIUM alterius fratris filios, Stephani ſcilicet, qui Matthæi Magni filius natu minimus Aronæ Comes, Novariæque Dominus fuiſſe traditur. Miror ab Macchiavello (1) non ſolum præteriri Matthæum II., ſed Barnabovem, & Galeatium Lucchino genitos tradi.

IX.

(1) Hiſtor. Florent. Edit. Ald. 1540. l. 1. p. 22.

IX. Matthæum vix juventutem ingreſſum vita deſeruit. Galeatius etiam vigente, & firma ætate cum diem ſuum obiiſſet, ejus filius JOANNES GALEATIUS acerrimæ vir mentis ampliſſimique animi cum Barnabove diviſo imperio regnavit. Sed cum Fratris filio Patruus moliretur inſidias, ut imperio unus ipſe potiretur, præoccupavit Junior Senem intercipere. Quod mira felicitate, uniuſque diei fortuna ſine armis & ſanguine ſucceſſit. Eo oppreſſo latum Imperium Joannes Galeatius habuit, quin quiſquam contra auderet, aut poſſet. Fratres enim ejus Patrueles, qui impotenti totius regni adipiſcendi cupiditate acti Barnabovem Patrem in Joannis Galeatii exitium ſollicitaverant, alii alio refugientes, & nequidquam amiſſam ditionem reſpectantes, ſi recuperare poſſent, poſtremo aut armati occiderunt, aut privatæ ſe ſe accommodarunt fortunæ.

Nemo Barnabove latius cognationem profuderat. Filias enim ex Beatrice Scaligera Veronenſi ſuſceptas novem, pleraſque Florenis aureis centum millibus dotatas miſerat in ampliſſimas nuptias, & affinitatum conjunctione devinxerat ſe non omnibus ſolum Italiæ Principibus, ſed Cypri, Britanniæ, Galliæq. Regibus, & Auſtriacis, Bavaricis, Brandeburgicis Virtembergicis Germaniæ Tetrarchis, ut nulli fere in Europa Principes fuerint, ad quos didita Vicecomitum ſanguinis non aliqua pars permanarit, uti de ſe ſe ipſe confirmabat [1] Ferdinandus II. Auguſtus;

&

(1) Ferdinandi II. Aug. Diploma ad Com. Jacobum Mandellum: vide *Comparitionem Jo. Mariæ Vicecomitis Præpoſiti Metropolitanæ Med.* 3. Sep. 1666. V. *Matth. Magnus.*

& vero majorem in modum. *Viridis* enim natu maxima Barnabovis A. 1365. Leopoldo Auſtriaco nupſit, eoque natus eſt conjugio Erneſtus Friderici IV. Aug. Pater, Maximiliani I. Aug. Avus, Caroli V., & Ferdinandi I. Augg. Abavus. Itaque eſt in præcipua Vicecomitum laude ponendum omnem illam Auſtriacorum propaginem Cæſarum, quæ nuſquam intercepto ſpatio ad hanc noſtram ætatem Romano Imperio eſt dominata, ex Barnabovis Filia eſſe deductam. Sed ille, ita ut diximus, a Fratris Filio protruſus imperio, brevi etiam in Triciano Caſtello veneno ſublatus tumulum habuit, quem Mediolani proſtantem adhuc, exornatumque ſtatua equeſtri ad D. Joannis, quem a Conca appellamus, ſiniſtrorſum a porta videmus: Joannes autem Galeatius avito unus toto principatu potitus, plus cæteris imperium conſilio, & armis latiſſime protulit, Duxque Mediolani omnium primus appellatus eſt a Venceſlao Imp. Totam jam fere Etruriam in ſuam redegerat poteſtatem, Florentiæ imminebat, itaque convenerat, ut propediem Italiæ Rex ſalutaretur: ea de re ad Caſtellum Marinianum Regia deferri Inſignia juſſerat, ubi ea conſtituerat ſolemni pompa induere; eò ipſe jam contulerat ſe ſe; cum maligna febris [quamquam aliqui nec temere putant venenum a Florentinis datum] intra octiduum ampliſſimas cogitationes intercepit. Fato ceſſit, Regno inter JOANNEM MARIAM, & PHILIPPUM MARIAM Liberos impuberes diviſo.

Prior cum ſe immaniter gereret, odiaque hominum incurriſſet, vix juventutem adeptus miſerrime, & nefarie conjuratorum manu contrucidatus eſt:

eſt: alter ſine prole maſcula deceſſit, Regnumq. Mediolanenſe, poſt biennium fere, ad Franciſcum Sfortiam pervenit, qui Blancam Mariam duxerat Philippi notham; ſed Imperium armis conſecutus eſt. Namque Mediolanenſes, eorum ſtirpe Principum, quos ſibi impoſuerant, extincta Rempublicam reſtituerant, quo antea ſtatu ſe gubernabant, & Franciſcum Sfortiam invictiſſimum Ducem ſuis exercitibus præpoſuerant ad Inſubriæ urbes recipiendas, quæ Imperio Mediolanenſium ſubduxerant ſe, fretæ auxiliis, & ſollicitationibus motæ finitimorum Principum. Sfortia hoſtibus ubique locorum cæſis, pleriſque Civitatibus receptis, jura Conjugis in Vicecomitum hæreditarium imperium repente protulit, exercitu Mediolanum circumdedit, Urbemque pertinaci obſidione, & fame perdomitam in deditionem denique accepit. Illatam Mediolanenſibus injuriam admirabili deinde humanitate, omnique genere officiorum compenſavit, Vir pace, & bello ſupra omnem hominum fidem dignus Imperio, quod ei virtus peperit. Vicecomitum nomen hæreditarium ſumpſit tranſmiſitque ſuis; ſed in ejus Filiorum Liberis Stirps, Regnumq. deſiit. Duo enim ex Franciſci I. filiis regnarunt cum ſuis liberis: Primum quidem Galeatius Sfortia, & Jo. Galeatius: ille a Conjuratis, hic ſublatus a Patruo Ludovico Franciſci I. Filio: qui ab Ludovico XII.Gall. Rege captus ipſemet, deinde in Galliis obiit; atque ex ejus liberis Maximilianus quidem primus adeptus Principatum Mediolanenſem eo ſponte ſe exuit in gratiam Franciſci I. Gall. Regis, Ducatos, quos vocant, nummos annuos XXX. M. nulliuſque nominis vitam in Galliis domi-

minationi anteferens: at Franciſcus II., alter Ludovici filius, paternum aſſecutus imperium nec prolem habuit. Itaque Carolus V. Auguſtus Inſubriam, quæ ad illum pervenerat ex Franciſci teſtamento, & jure Imperii, Hiſpaniarum Regno adjunxit; ſed hæc notiora ſunt omnibus, neque huc pertinent. Vicecomites imperarunt ab A. 1277. ad A. 1447.: Principes conſilio, armiſq. clariſſimi, ſed præcipue ſumma quadam, atque incredibili amplitudine animi: namque omnem Inſubriam, Urbeſque cæteras Italiæ, quibus aliquando latiſſime ſunt dominati ea magnitudine, ac numero Arcium, Mœnium, Turrium, ac Pontium, ea celebritate Monaſteriorum, Academiarum, Templorum auxerunt, exornaruntque, ut etiamnum admirationi ſint, per ſe ſeque ſatis prodant poſt Romanos illos Cæſares extitiſſe haud ita multos, qui Vicecomites Principes magnificentia ſuperarent.

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE VICECOMITUM ORIGINE PRINCIPATU PROPAGINE

DISSERTATIO ALTERA

QUÆ EST

DE UBERTINA STIRPE.

I. MAtthæi Magni Stirpe exareſcente laudis domeſticæ, & veteris dignitatis decus, memoriaque in Ubertina progenie reſedit. Erat quidem jam tum, cum Matthæus regnare cœpit, in plures familias diſtinctum Vicecomitum genus: namque & Othonis Archiepiſcopi Fratres & eorum majores multo antea diverſas, atque multiplices familias deduxerant; ex quibus profecti Vicecomites Maſini, Caſtelletti, aliiq., qui, præſtantes avita dignitate & decore etiamnum florent; ſed eorum nos hic ſeriem tantum ſubteximus, ut initio alterius diſſertationis diximus, qui, quod ex UBERTO Matthæi Magni Fr. fluxere, regnatrici propius Stirpi adhærebant.

Tres Uberto filii fuere ex Alduxia Vicecomite Conjuge, & Conſobrina ſuſcepti, *Vercellinus*, *Joannolus*, *Othorinus*. Hunc poſtremum Triſtanus Calchus

chus (1) tradit ſine liberis deceſſiſſe: *Othorinus Vicecomes moriens ſine ſtirpe* 1334. *Hæredes fecit Margaritam Sororem Caſtri Paladrini* [teſtamentum Othorini dicit Paladinum], *&* *eandem ex dimidia reliquorum bonorum*, *&* *dimidia Joannem Patruelem Epiſcopum Novarienſem tunc*, *&* *qui poſtea fuit Archiepiſcopus*, *&* *Dominus Mediolani*. Quis Fratrum natu major eſſet, videtur adhuc obſcurum: ſed ex Vercellino prodiere Domini Sommæ, ex Joannolo Domini Rozani, qui jam ab Marchionatu S. Alexandri nominantur.

II. Et VERCELLINO quidem nomen partum, quod Uberto Patre Præturam Vercellis gerente natus eſt. Sapientiæ (2) laude plurimum præſtitit, magnoq. uſui Reipublicæ fuit Actio, quique Actio ſucceſſerunt, Lucchino, & Joanni Archiepiſcopo Fratribus Medrolani Dominantibus: etenim Joannes XXII. cum Mediolano interdixiſſet Sacris, quod Vicecomites Ludovico Bavaro faviſſent, Vercellinus ad Summum Pontificem miſſus, iterumque ac tertio ad Benedictum XII., & ad Clementem VI., qui Pontificatum poſt illum obtinuerant, poſtremò illo arbitro & ſequeſtri pax eſt (3) reconciliata.

Non

(1) *Triſt.Calch. Mediol. Secretarii Sen. Genealogia Vicecom. Mediolani Principum*, dicata Stephano Poncherio Præſidi Senatus Mediol. V. Vulpii Hiſt. Vicec. T. 2., ad cujus calcem adjecta eſt p. 285.

(2) Corius Part. 3.

(3) Galvaneus Flamma de Geſtis Azzonis Principis in T. 2. Scrip. Rer. Ital. Creſcentius Anfit. Rom. p. 346. Joſ. Vulpius Hiſtoria Vicecomitum tom. 2. p. 188. Edit. Neapol. 1748.

Non minoris Galeatius II. Mediolani Princeps ANTONIUM, quem Vercellinus ex Margarita Puſterlæa conjuge habuerat, ſemper fecit, atque eum ita obſervavit, ut privilegia, quæ vocant, confirmans, inſcriberet *Egregio Militi Domino Antonio Vicecomiti Dilecto conſanguineo noſtro* (1).

Hujus Filium BAPTISTAM, qui in veteri Inſtrumento appellatur *Miles Religionis Sancti Georgii*, Imoſius (2) ejus Ordinis Equitem putat, quem Fridericus III. Auguſtus Genuæ inſtituit: ſane errat; his enim cohoneſtatum dignitatis inſignibus ſcimus jam inde ab A. MCCCCX., ante Genuenſem conditum (3) annos ſcilicet XLII., quamobrem recte plerique exiſtimant antiquum Periſcelidis Ordinem Britannicum habendum eum, quo Baptiſta exornatus eſt.

Non eſt Philippi Mariæ Med. Ducis III. prætermittendum ad hunc diploma A. 1420.: *Recepimus* (4) *pro parte Baptiſtæ de Vicecomitibus, quod Terra Somæ Ducatus noſtri Mediolani cum ejus omnimoda juriſdictione ſpectat, & pertinet ipſi Supplicanti, dictaq. Terra cum ejus Territorio, & hominibus ab antiquo ſemper, ſeu per tantum tempus, cujus principii memoria non exiſtit, fuit, & eſt libera, & exempta a quibuſcumque imbotaturis, datio, & oneribus*

(1) Vulpius ibid. p. 189. V. etiam Creſcentium Amph. Rom. p. 354.
(2) Imoſ. in Hiſt. Ital. & Hiſp. Geneal. Vicecom. ſtirp. X. p. 197. & 198.
(3) V. Bernard. Juſtinianum Hiſt. degli Ordini Milit. p. 2. p. 750.
(4) Vulpinus ibid. pag. 193. & allegatio edita eadem de re ab Carolo Fran. Durante Advocato Mediol. A. 1756.

ribus realibus, & perſonalibus, atque mixtis, & etiam a juriſdictione tam in civilibus, quam in criminalibus Capitanei Seprii, & cujuslibet alterius Officialis, quæ libertas & exemptio ſemper hic retro fuit obſervata, & obſervabatur tempore Illuſtriſſimi Genitoris noſtri, & ſecundum judicia alias facta, etiam ſecundum litteras noſtras alias emanatas debet inviolabiliter obſervari &c. Ex Vercellino hujus Fratre extitit Joannes II. Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus, qui cum ad Templi Maximi exſtructionem ex patrimonio ſuo legavit plurima, tum Præpoſituram inſtituit juris Vicecomitum.

III. Baptiſtæ ex Regula Piccolominea Senenſi, præcipuæ Nobilitatis fœmina, filii fuere duo FRANCISCUS & GUIDO is, cujus res geſtæ litteris fuere traditæ. Hic ille eſt Guido, ex cujus filiis, & Nepotibus trifariam Stirps diſtincta, & propagata fuit honori Generis, & Patriæ. Ex Antonio enim Guidonis filio majore natu, ortus *Jo. Baptiſta*, hinc continenter a patribus in filios profuſa progenies Comitum Lunati-puteoli [*Lonato-pozzuolo*] per CORIOLANUM, ANTONIUM, ANT. CORIOLANUM, & NICOLAUM MARIAM, cujus Filii CAROLUS, & PHILIPPUS ductis uterque nuptiis propagines duas hac ætate inſtituerunt, quæ avitam nobilitatem ſplendore, & virtute tuentur. Multo tamen antea, atque ab ipſis hujus progeniei exordiis THEOBALDUS ſecundo natu filius Guidonis ejus, qui, ut paulo ante diximus hujuſmodi Stirpis auctor fuit, Theobaldus, inquam, Vicecomites Ciſlagi Marchiones profuderat, qui per CÆSAREM I., CAROLUM, CÆSAREM II., THEO-

BAL-

BALDUM II., CÆSAREM III., ad hoc uſque Sæculum produxere genus, auctique ſummis honoribus, & dignitatis nominibus poſtremo exareſcente ſtirpe maſcula, rem, honores, jura in Comites Caſtelbarcos tranſmiſerunt.

Sed ut illuc regrediar, & primo geniti progeniem explicem, Franciſcus, & Guido Fratres Baptiſta I. nati, cum deficiente in Philippo M. Duce III. Vicecomitum Principum Stirpe ab Imperii partibus ſtetiſſent, eos Fridericus III. ampliſſimis litteris donavit A. 1448. quarum eſt initium *Magnificis* (1) *Franciſco*, *&* *Guidoni de Vicecomitibus:* deſinunt autem non minus magnifice: *propter nobilitatem veſtri generis... ſuſcipientes vos, maturo conſilio cum liberis, ſubditis, rebus, & bonis veſtris ... in noſtri, & ſacri Imperii protectionem; eximentes vos cum hominibus, & rebus veſtris, ut prædictum eſt, ab imperitione, & juriſdictione quorumcumque ſubditorum noſtrorum in Lombardia, & aliarum partium, quacumque auctoritate præſulgentes; ita ut ſuper cauſis vobis, veſtriſque objiciendis, non alibi, niſi coram majeſtate noſtra, vel a nobis deputandis reſpondere teneamini &c. Datum in Nova Civitate* 18. *Martii* 1448.

Æquali porro eos loco habuit Franciſcus I. Sfortia, qui denique conſilio, armiſque rerum potitus fuerat Mediolani: Litteris enim ad utrumque datis A. 1449. 6. Novembris, eos ſic compellat -- *Magnifici Affines, tanquam Fratres cariſſimi* (2)*:* Anno autem ſubſecuto ſane ſplendidis, præclariſque nominibus donavit *Magnificorum* (3) *& potentium Domino-*

(1) Vulpius T. 2. p. 204. Creſcentius Amph. Rom. p. 354.
(2) Vulpius ibid. p. 233. (3) Ibid. p. 205.

norum Franciſci J. U. D. eximii, & ſtrenui Guidonis Fratrum de Vicecomitibus: ſed Franciſcum cum idem Sfortia Cremonæ A. 1453. præpoſuiſſet Gubernationi, ampliſſima hae laude proſecutus eſt: *Non ignoramus qua fide, prudentia, æquitate, continentia, & magnanimitate ſpectabilis Miles, Legum doctor, affiniſque noſter, Dominus Franciſcus Vicecomes, ſe ſe ad omne, quod ſibi creditum fuerat, officium effuderit* (1).

Sed auctoritate, & conſilii magnitudine uſque adeo inclaruerat, ut gratiam etiam haberet externorum Principum, honoreſque ſummos conſequeretur. Non vacat plura perſequi; ſed Caroli Sabaudiæ Ducis plenæ humanitatis ſunt litteræ Camberiaco datæ, quæ Franciſcum ſalutant appellatione *Illuſtris, & magnifici Amici, & tanquam Affinis Cariſſimi* (2): Huic nupſerat Eliſabetha Comitis Carmagnolæ clariſſimi Imperatoris filia. Antequam tamen progredior, memoratu digna eſt duorum Fratrum pietas, & magnificentia. Franciſcus enim, & Guido ſuis ſumptibus S. Stephano in pago Mezzana, & S. Agneti cum Canonicalibus Ædibus in Oppido Soma Templum conſtituerunt, qua de re Pii II., & Sixti IV. ſummorum Pontificum ſolemnes litteræ (Bullas vocant) extiterunt ad Vicecomites Fratres. Qui ſi jam reviviſcerent, Somamque ſuam reviſerent, delectarentur profecto in majorum exemplum elatam, atque excitatam eſſe Religionem Nepotum. Quale enim, ac quantum eſt Cœnobium permagnum videre,

(1) Vulpius pag. 205.
(2) Genus Jo. Galeatii Vicecomitis Mediol. ap. Montiam 1971. not. 155.

dere, & Templum longe pulcherrimum, quod hiſce annis Philippus Maria Vicecomes ex Somæ Dominis, & S. Viti Marchionibus, qui Hermetem I. hujus Franciſci Nepotem habet tritavum, magnifico, & largo ſupra privatam horum conditionem temporum ſumptu, a fundamentis extruxit S. Franciſco Paulano, & Religioſis ejus Ordinis hominibus attribuit adjecto ad alimenta patrimonio?

III. Franciſci virtutem filius excepit BAPTISTA II., quem Joannes Galeatius Sfortia Mediolani Dux VI. Papiæ Comitatui præfecit (1) *cum auctoritate, balia, mero ac mixto imperio, ac omni gladii poteſtate:* Joanne autem Galeacio ſublato ab Patruo Ludovico Sfortia, cui Mauri cognomentum fuit, quemq. Maximilianus Imp. Mediolanenſi Ducatu auxerat, æque apud novum Principem auctoritate valuit. Sed Ludovico XII. Gall. Reg. in Inſubriam irrumpente, qui turbo Maurum ſolio exturbavit, & in Germaniam refugere compulit, idem Baptiſtam detulit ad Venetos, fide accepta publicis litteris adverſus Gallos, ne unquam eorum poteſtati illum dari Venetus Senatus ſineret. Sed Ludovicus Rex cum putaret minime Inſubriæ ſe imperio tute fruiturum, niſi hunc in ſuis haberet manibus, minaſque & arma oſtenderet, niſi hominem Veneti permitterent ſibi, in Gallorum devenit Baptiſta poteſtatem, diuque vitam exegit Mediolanenſi arce incluſus, neque unquam libertatem, niſi auri magna vi repenſa, diu poſt redemit.

Ex Joanne Puſterlæa FRANCISCUM II. & HER-

(1) Vulpius pag. 206.

HERMETEM habuit; & Franciſco quidem quid deberet Franciſcus II. Sfortia Mediolani Dux Ludovici F. declaravit A. 1525. his litteris (1) *tametſi minime ignotum eſſe arbitramur nos ſumma benevolentia proſequi Magnificum Virum Dominum Franciſcum Vicecomitem, Affinem, ac Senatorem noſtrum Dilectiſſimum non tamen animo noſtro ſatisfaceremus, niſi id aliquo documento palam fieret. Neque unquam hujus viri ſubit recordatio, quin maximo oneri aſcriptum iri vereamur, id tantum diſtuliſſe, cum præcipue ea erga nos, noſtroſque Progenitores merita exiſtant, ut eorum neminem latere exiſtimemus. Is enim clariſſimo, & undecumque virtutibus inſigni viro Baptiſta Vicecomite, hujus Civitatis Primario, ortus eſt: Parentis laudatiſſimos mores æmulatus, ea pro Illuſtriſſima domo Sfortia egit, quæ a quoquam optimo & ſtudioſo viro expectari poſſunt; ita ut a Parente minime ſuperari paſſus fuerit. Nam ille majorum noſtrorum obſequiis deditus, cum tantæ auctoritatis in hac noſtra Mediolani Civitate eſſet, ut non ſecundus haberetur, nunquam ſerviendo defeſſus fuit, multaque præclara, & utilia officia præſtitit uſque adeo, ut in manus Gallorum poſtea incidens, non niſi maximo ære exſoluto ſe ab illis redimere potuerit &c.*

Sed Franciſci præclariora fuere erga Carolum V. Aug., Familiamque Auſtriacam promerita. Cum enim A. 1526. maxime ſuſpiciones, & ſimultates coortæ fuiſſent inter Franciſcum Sfortiam, & Cæſarem, ſic ut illum hic dejiceret avito Principatu, tantus dolor Principe ſuo ammiſſo Populum Mediolanen-

(1) Creſcentius Amph. Rom. p. 357.

lanenſem repente invaſit, ut furens arma caperet in Cæſarianos. Quo tempore cum prudentiam, conſiliumque omne ſuperaret tantæ motus & concitatio multitudinis, (cenſebantur enim tum hominum millia amplius CCC), cumque omnium eſſet concurſus, atque impetus in Alphonſum Avalum Marchionem Piſcariæ, & in Antonium Levam Cæſariani exercitus Duces, neque militum diſperſis, disjectiſque copiis ſatis præſidii eſſet ad ſe ſe, minus autem ad illos defendendos, res ad omnis exercitus excidium ruebat, niſi Franciſci Vicecomitis fides, & gravitas valuiſſet. Is enim receptis in domum ſuam, ibique occultatis Avalo, & Leva (1), tum egreſſus, oſtendenſque ſe Civibus, & quà crebri videbantur ſeditioſorum globi obequitans, qua valebat populari eloquentia, & apud omnes auctoritate, & gratia, tantum effecit, ut & iratam multitudinem compeſceret, & cunctorum mentes ad conſilia ſua pertraheret plena pacis, plena ſapientiæ: itaque Cæſarianis reconciliata eſt Civitas. Quod ubi Cæſar accepit, cum videret, ſi ille exercitus, illique Duces oppreſſi fuiſſent, res ſuas omnes futuras fuiſſe in Italia profligatas, ac perditas, namque ejus fortunæ, & magnitudini haud ita obſcure cæteri Principes invidebant; cumque unius viri virtute incolumia jam omnia, ac ſalva eſſe intelligeret, litteras ad illum tales dedit, quæ, quod qualem animum haberet tantus Cæſar, declarant, non ſunt hoc loco prætermittendæ. Scriptæ ſunt autem Valliſoleto 14. Junii A. 1527. (2) *Magnifice Fidelis,*

(1) Vulp. t. 2. p. 211.
(2) Genus Jo. Galeat. Vicecom. n. 183.

lis, Dilecte. Continua tua in nos officia adeo nobis grata accidunt, ut ſi omnem gratiſſimi Principis gratitudinem a nobis Tibi pollicearis, jure tuo facturus ſis. Dabimus certe operam, ut tuis meritis gratia, & liberalitate noſtra correſpondiſſe videamur: prout hanc, aliaque tum publica, tum privata Magnificus, Fidelis, nobis Dilectus Antonius de Leyva Capitaneus noſter, qui magna nobis de tua in nos fide ſignificavit, tibi noſtro nomine referet, cui ut ſummam fidem habeas te plurimum hortamur.

Neque vero his tantum litteris ſuum erga Franciſcum animum oſtendit Cæſar; ſed fama tum valuit, Carolum avitum Imperium, & Principatum Mediolanenſem Vicecomiti obtuliſſe: ſed ille privatam fortunam omnibus virtutis, & honoris ornamentis inſtructam ſuſpicioſæ dignitati (1), amplitudinique prudens antetulit. Quin etiam cum tantus eſſet erga illum Cæſaris favor, modeſte adeo prudenterque ſe geſſit, ut Gallorum animos, qui Ticini erant, non offenderet. Cum enim Mediolano egredi tuto liceret nemini ob excurſiones Gallorum, qui Papiæ confederant, Lotrechius plenas amicitiæ, & fidei litteras ad Franciſcum dedit A. 1527. 11. Octobr., quibus litteris tuto ille poſſet Urbe egredi, &, qua luberet, ire incolumis cum ſuis rebus, & comitatu familiarium XXX., & equis totidem. Hic Uxorem non duxit, ſed Hermes Frater ejus Uxorem Blancam M. Scapardonam Jacobi Senatoris Caſalenſis filiam cum habuiſſet, Gulielmo Monferrati Principe eas nuptias conciliante, quæ dotis

(1) Creſcentius Amphit. Rom. p. 357. Vulpius loc. cit.

dotis nomine aureorum nummorum XXV. M. (1), cumque ex his Baptiſta III. extitiſſet, hunc Franciſcus hæredem teſtamento appellavit.

Baptiſta III. ea de re *Hæres* vocatus eſt, ut, quando duo alii in Vicecomitum familiis eodem tempore idem nomen ſortiti fuerant, ea appellatione hujus haberetur diſcrimen. Pupillus a prima pueritia tutorem non alium habuit, quam ipſummet Mediolani Ducem Franciſcum II. Sfortiam, a quo prope in Filium ſuſceptus, educatuſque eſt. Et puerum facile hæredem Mediolanenſis Principatus reliquiſſet, quando liberis carebat, ſed cum ita jam conveniſſet, ut Carolum V. Aug. hæredem haberet, namque ad Cæſarem pro jure Rom. Imperii pertinebat Inſubria, juſque præterea Auſtriacis erat, annuentibus ipſis Gallorum Hiſtoricis (2), propter Viridem Barnabovis filiam, Caroli V. Tritaviam; ſed ut eſt, cum ita conveniſſet inter Cæſarem, & Sfortiam, Sfortia nihilominus Baptiſtam, quoad potuit, ſtuduit in ſuam familiam inferre. Duodenni enim deſignavit Franciſcam (3) ex ſuamet Gente ortam, quæ propagata in Umbria perquam ſplendide florebat, magniſque ditionibus dominabatur (4). Franciſca autem Parentes habebat Boſium Sfortiam Comitem Sanctæ Floræ, & Conſtantiam Farneſiam Alexandro eo natam, qui poſtea Pontificatum ſummum,

(1) Creſcentius lib. cit. p. 357.
(2) Comines Mem. l. 7. c. 2.
(3) Genus Jo. Galeatii n. 194.
(4) Hæc ſtirps Sfortiarum, qui Comites fuere S. Floræ, viget adhuc, & ampliſſime dignitatem ſui Generis ſuſtinet in Principibus Sfortiis Cæſarinis Romæ.

mum, & Pauli III. nomen geſſit. Sed hæ nuptiæ Franciſco Duce immaturius ſublato A. 1535. exitum non habuerunt. Franciſca Hieronymo Urſino Anguillaræ Comiti nupſit; Baptiſta autem Magdalenam Vicecomitem duxit ex ea ortam ſtirpe, quæ Sacramorum auctorem habuit Barnabove Mediolani Principe natum, ex quo Vicecomites a Brignano fluxere, Magnates Hiſpaniæ, & bello, ac pace per per omnes ætates clariſſimi.

Ex illis igitur nuptiis extitit HERMES II., tum Magdalena florente ætate fatis functa, cum Baptiſta Hippolitam Barbianam ex Cunii, & Belgiojoſii Comitibus ſecundo duxiſſet conjugio, ſuſcepit ex illa natos quinque, quorum natu major Franciſcus deduxit Progeniem alteram Vicecomitum Marchionum Mottæ, quæ memoria noſtra in Marchione Æmilio extincta eſt.

At vero Hermes primis belli rudimentis apud Joannem Auſtriacum in Belgio politis, Philippo II. Hiſp. Regi meruit annos XXIII., Melitæ a Turcis oppugnatæ auxilio adfuit cum Marchione Piſcariæ; Concilio Tridentino interfuit; Regis ſui legationes ad Reges, & Principes obiit plures; Gregorii XIV. P. M. affinis ſui Excubitorum Cohorti cum Hercule Sfondrato præfuit; poſtremo redux, Urbaniſque muneribus perfunctus Patriæ deſerviit. Huic ex ampliſſimo, ſplendidiſſimoque genere nupta fuerat Margarita Taberna Comitis Cæſaris filia, & Ferdinandi Cardinalis, atque Epiſcopi Novarienſis ſoror.

His ortum Parentibus FRANCISCUM MARIAM Philippus III. Rex Hiſpaniarum pro ejus, ma-

majorumque promeritis Marchionem S. Viti dixit, quod eſt Oppidum X. M. P. ab Urbe: Iſabella autem, ex Beccaria Papienſi Familia primaria, illi & magnas fortunarum acceſſiones attulit, & HERMETEM III. peperit ſummæ in Inſubria, & apud maximos Principes auctoritatis, conſiliique virum; ex quo & Margarita Archinta, Joſephi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis ſorore, Comitis Caroli Senatoris Aureique Velleris Torquati filia, CAROLUS FRANCISCUS I. extitit; atque is ex Clara Scotta Placentina Marchionis Vigolini Fil. HERMETEM IV. habuit, qui ex Franciſca Balliotta Novarienſis antiquiſſimi Generis hunc extulit CAROLUM FRANCISCUM mire excellenti ingenio, atque animo ad virtutem facto adoleſcentem, qui profecto ſpes Patriæ non fallet, & a Majorum, ſuaque dignitate non diſcedet, præſertim cum domeſtici honoris & decoris, integritatis & prudentiæ pulcherrimam habeat imaginem in Philippo M. Patruo, qui ſuo exemplo ejus adoleſcentiam ad incorruptam virtutem, omnemque honeſtatem informat. Atque hæc denique omnis eſt ſtirps a Vercellino Uberti filio fuſa, & propagata.

V. At ex JOANNOLO altero Uberti filio ſtirps ducta eſt altera, quæ ab Caſtro Rozzano primitus, tum ab Oppido, & Marchionatu S. Alexandri nomen habuit. Et Joannolus quidem cum Joannam de Caimis duxiſſet, ex ea OLDONEM, ut tum loquebantur, ſive *Othonem* ſuſcepit. Extat diploma Clementis V. S.P., quo diplomate uterque ſolvuntur legibus, quæ tum erant de quarto affinitatis gradu conjunctis, ut contrahere liceret nuptias; præ-

præclaraque utriuſque eſt commemoratio: appellatur enim Joannolus ab Pontifice Maximo *Dilectus Filius Nobilis Vir Joannes Vicecomes Domicellus Mediolanenſis*, uti & Sponſa *Domicella* itidem *Mediolanenſis* (1). Derthonæ Prætorem Joannolum fuiſſe produnt monumenta, nec plura de eo licuit uſpiam reperire.

Joannoli virtus OLDONI filio Derthonenſium benevolentiam peperit; itaque & illius Urbis Capitaneatum, ut vocabant, Oldo geſſit, & fratri ejus Jacobo collatus eſt Derthonæ Epiſcopatus. Virtute bellica, & ſingulari erga Principem fide claruit MAPHÆOLUS I. Oldonis filius, quo maxime tempore in extremum periculum Actii Mediolani Domini res venerant Lodriſii Vicecomitis cauſa. Hic erat Petro Matthæi Magni, & Uberti Patruo natus, ex quo Vicecomites orti, qui in Comite Julio Prorege Neapolitano deſiere paucos ante annos. Erat Lodriſio alta, atque arrogans natura, & jampridem Matthæi fratris patruelis gloriæ, fortunæque invidens, infeſtus omnia moverat, ut eum Principatu dejiceret: ſed victa ejus ſemper conſilia fuerant Matthæi virtute, & diligentia. Matthæo, & Galeatio ejus Fil. factis functo Actius conſecutus imperium nullis officiis defuerat, ut Lodriſii ſibi animum conciliaret: ſed nullis honoribus, & muneribus ſuperbum hominis ingenium, irrequietuſque animus mitigari potuit, ut Actium rerum ſummam adeptum tuto frui imperio pateretur. Itaque Mediola-

no

(1) Comparitio Jo: M. Vicecomitis A. 1666. 3. Sep. ubi de ſpecifica Tit. Joannolus.

no cum paucis improviſo Veronam profugiens cœpit exercitum conſcribere: & brevi magno Rhætorum, Helvetiorumque numero, & expedita Equitum Germanorum manu conducta, aucto inſuper exercitu exulum, & fugitivorum multitudine, repente Abduam flumen trajecerat, Actianas copias fuderat, ad Ambrum (1) fluvium M. P. VI. ab Urbe decucurrerat, terrore, fuga, clade Inſubriam compleverat. Quæ hoc erant acerbiora, quod media hyeme, terrâque prædaltis nivibus obſita hæc adminiſtrabantur; & Actius podagræ ardens doloribus Mediolani detinebatur, ne multorum bellorum gloria, & militari ſcientia clarus Imperator Lodriſii celeritatem, & impetum retardare per ſe ſe poſſet. Non tamen ſibi defuerat; namque ſuperioribus menſibus ab illius ferocitate, & inſania nihil non metuens, ex Liguria, Ferraria, & Allobrogibus ſubſidia acciverat: quibus auxiliis auctum Mediolanenſem exercitum Lucchino Patruo, Maphæolo hoc Vicecomite, & Prothaſio Caimo ducentibus, in Lodriſium immiſit, qui ad Nervianum Pagum conſtiterat, non Parabiago procul. Atrox inde prælium: a Mediolanenſi equitatu prima Lodriſianorum acies perfracta; ſed Lucchinus in Rhætos, Helvetioſque audacius procurrens confoſſo equo concidit, captuſque eſt. Barbarico clamore hoſtium, amiſſi præterea Ducis fama perculſi demiſere Inſubres animum, tametſi Vicecomes, & Caimus reparare aciem ſtuderent.

Sed actum erat de Actianis, niſi, ut eſt traditum hiſtoriis, immiſſo divinitus auxilio extorta fuiſſet

(1) Cor. l. 3. ad A. 1337.

fuiſſet inſperato victoria de Lodriſii manibus. Albo enim equo, medio aere, inſidens repente bene multis conſpectus eſt D. Ambroſius ora adverſariorum flagro cædens; quo illi prodigio fracti animis Ducum imperia non facere, mox terga vertere cœperunt. Fugientes Lodriſianos inſecuti Mediolanenſes, aucti recenti ala cataphractorum Allobrogum, quos Ludovicus Sabaudus Actii ſocer ſubmiſerat, magnis vulneribus effecerunt. Luchinus ad arborem deligatus hoſti eripitur; Lodriſius capitur; ad millia hominum IV. cæduntur. Victoriæ manet monumentum Parabiagi, Templum ſcilicet S. Ambroſio dicatum, depictaque totius imago prælii. Præterea ſolemne ſacrum inſtitutum, Miſſaque, quam vocant, tum rei ergo confecta; quam in anni 1515. atque etiam anterioribus Miſſalibus (1), ut ajunt, legimus. Præfatio autem cum more, rituque Ambroſiano cauſam, atque adeo victoriam prædicet D. Ambroſii ope partam, cumque illæ Rhætorum, Helvetiorumque copiæ appellentur communi quodam vocabulo Gallicæ, quo tum facile nomine tranſalpini veniebant, hinc vulgaris quædam apud rudes, ignaroſq. opinio didita Miſſam Mediolanenſium adverſus Gallos in antiquis eſſe codicibus: ſed ita, ut diximus, ſe habet res.

Ex illo multo maxima Maphæolo gratia parta apud conſanguineos Principes, magnaque apud exteras

(1) Miſſale ſecundum Ordinem S. Ambroſii impreſſum Mediolani per Zanottum de Caſtelliono ad impenſas Ven. Domini Nicolai Gorgonzole Præsbyteri 1515. die 15. Octob. in 4. Pag. 206. habetur: 1319. *die* 21. *Februarii: Victoria S. Ambriſii in Parabiago.*

ras gentes auctoritas, quamobrem Foricorneliates eum publicis votis ſibi Rectorem exoptarunt. Æquali fere munere alibi functus poſtremo Alexandriæ obiit, ejuſque tumulo ad D. Franciſci inſcriptum: HIC JACET NOBILIS VIR DOMINUS MAPHIOLUS VICECOMES, QUI FUIT POTESTAS VALLIS LUXIARDÆ, GRANELLORUM, CIVITATIS ALBÆ, ET ALEXANDRIÆ OB. MCCCLXXXI. XV. JUNII (1).

Maphæoli filius JACOBUS Brixiæ Prætura, & Barnabovis Mediolani Domini Vicaria poteſtate Piceleoni geſta MAPHÆOLUM II. habuit illum, quem Joannis Galeatii Med. Ducis Pompæ funebri cum cæteris conſanguineis, & agnatis interfuiſſe legimus xx. Octob. MCCCCII. (2). Fuit autem ejuſcemodi pompa, ut ſupra (3) omnem opinionem ampliſſimam, & perquam ſane regiam Hiſtorici prædicent; & neſcio an ulli poſtea ſimile quidquam contigerit. Nam præter Legatos Urbium, & Ditionum, quæ Jo. Galeatio parebant, quæque ea de re ſingulæ delegerant plures, progrediebantur quotquot miſſi ad proſequendum funus fuerant a Tetrarchis, Rebuſque publicis Italicis; ipſique magno numero ſuccedebant Principes, clariſſimique bello Imperatores; atque his interpoſiti omnes ex Vicecomitum Stirpe procedebant.

VI. Maphæolo II. AMBROSIUS, atque huic JO.

(1) Vulpius T. 2. p. 16.
(2) Id. ib. (3) V. Corium p. 4. A. MCCCCII. Conſule Edit. Venet. 1554. in 4., nam Venetæ A. 1565. hæc aliaque multa ſubtracta fuere, credo Thom. Porchachii manu.

JO. ANTONIUS extitit, qui ab Mediolanenſi Archiepiſcopo Joanne II. Vicecomite Avo, magnis auctus opibus, & Præpoſituræ Metropolitanæ Patronatu, ſummo loco in Patria floruit. Sed Vercellini ejus Fratris virtus, & fama celebrata eſt etiam apud exteras gentes: namque in Gallias ſubmiſſus eſt, ejuſque opera magni eſt habita.

Ludovicus XI. tum in Gallia regnabat, ſed Regnum ſuum ægre tuebatur adverſus Principes, qui conjuratione facta ad arma devenerant, fœduſque adverſus Regem junxerant: Bellum publici Boni nomen habuit (1). In magnum Rex rerum diſcrimen adducebatur; namque hoſtibus erant equitum millia amplius centum; tentataque primum Lutetia Pariſiorum Regni ſedes, poſtmodum obſeſſa in eam deſperationem rerum deduxerat Regem, ut ſi illa potirentur hoſtes, cogitaret nullibi ſe tutum fore, niſi ad Helvetios, aut ad Franciſcum I. Sfortiam Mediolani tum Ducem refugeret. Erat enim Ludovico Regi tanta in Franciſci virtute, atque animo fides, ut tribueret plus nemini. Neque vero Sfortia amicitiæ defuerat: illico enim, ut litteras de ejus periculo accepit, quibus rogabatur, uti pro veteri amicitia actutum auxilia militum mitteret, ille Galeatium filium, qui poſtmodum Patri in imperio ſucceſſit, cum lectiſſimis equitum, & peditum copiis in Gallias ſubmiſerat: Filio adjunxerat præſtantes mente, atque animo Duces, atque in his Vercellinum.

Non eſt conſilium quid tum, quamque utilem ope-

(1) Daniel. Hiſt. ad annum 1464.

operam Inſubrum præſtiterit exercitus Regi Gallico; uti in Borboniam ditionem irrumpens nonnullos Fœderatorum ad pacem ſeorſum cum Rege faciendam adduceret; uti denique Rex ipſe Franciſci Ducis conſilia faceret, qui, cum Conflanſii de pace ageretur, eum admonuerat, uti ne inpræſens eorum, quæ ab hoſtibus poſtularentur, quidquam reſpueret; id modo curaret, ut, quem habebat, retineret exercitum, nec dilabi ſineret milites (1): hoc tantum dicam Vercellinum ab Franciſco Sfortia in eam fuiſſe expeditionem miſſum, ut in omnibus conſiliis Galeatio Filio adeſſet. Et Galeatius, quanti illum faceret, oſtendit; namq. unum Lugdunenſi arci (2) eum præpoſuit, quæ ab Rege data pignori fuerat, dum Sfortiani in Galliis eſſent. Quo toto tempore ita Vercellinus ſe geſſit, ut ſummam virtutis, ſapientiæque laudem referret. Ex illo apud Galeatium uſque adeo honore, & gratia valuit, ut adeptus ille brevi imperium, & multis magniſque bellis implicitus conſilia ejus acciperet, & Vercellinum, in familiaribus, & amicis haberet.

Sed illud eſt ad ejus dignitatem admodum illuſtre, quod A. MCCCCLXXI. cum Galeatius ſolvendi voti, ut prædicabat (3), cauſa Florentiam iret, Vercellinum una ſecum eſſe, & nobiliſſimum gerere præ omnibus munus juſſit. Fuit autem Galeatii Florentiam ingredientis celebritas triumpho ſimilis, egreſſis ultro obviam Senatu, & Magiſtratibus Reipu-

(1) Comines l. 1. Hiſt. c. 8.
(2) Corius P. 6. ad A. 1465.
(3) Macchiavellus Hiſt. l. 7. edit. Ald. in 8. 1540. pag. 219. &c.

publicæ, omnique multitudine Civium. Nec vero pigebit legentes, qua pompa progrederetur Galeatius, cognoſcere: licebit enim hinc etiam exiſtimare, quanta Mediolanenſium Ducum amplitudo eſſet, quibus, tametſi magnos exercitus perpetuo alerent, arces ubique extruerent, Urbes communirent, exornarentque publicorum Ædificiorum egregiis auctoritatibus, tamen adhuc tantum ſupererat, ut vitæ ſplendore, cultuſque magnificentia magnis Regibus æquipararentur. Sed enim Inſubria hominum tunc frequentia, ſolertia, ingenio florebat; omnigena autem negotiatione tantum opulentia creverat, ut valeret adagium, Italiam omnem oppidò divitem & locupletem fore unius Mediolani ſpolio. Sed Galeatii in urbem Florentiam progredientis hæc erat ſpecies.

Procedebant jumenta (1) bis centum cum mulionibus, & carris XII. cum Regia ſuppellectile, & æquali erant cultu ſingula, apparatuque ſplendido adornata, veſtibus, & ſtragulis auro argentoque, & phrygio opere intextis. Aſturcones deinde quinquaginta Bonæ Conjugis equitationi aſſueti, pari numero præſtantes equi pro Galeatio; atque hos totidem Ephebi inſederant impuberes habitu ad elegantiam, venuſtatemque mire compoſito. Sequebantur cataphracti Equites centum, pedites quingenti armis auro, argentoque fulgentibus, cuſtodiæ corporis: Pueri a pedibus quinquaginta, deinde Aulicorum, & Procerum Inſubriæ multitudo, atque eorum

(1) Scipio Ammiratus Hiſt. Florent. l. 23. ad A. 1471., & Macchiavellus loc. cit., qui ea ex Corio P. 6. A. 1471. pag. 415. exſcripſit.

eorum is erat ſplendor, ea copia, ut equorum bis mille numerus eſſet. Hoc præeunte comitatu ſuorum ſuccedebat cum Bona Conjuge Galeatius; agmen claudebant venaticorum canum cum cuſtodibus paria quingenta, Accipitrum cum magiſtris magnus numerus, Muſici pueri quadraginta, Scurrarum, Ludionum, & Tibicinum infinita multitudo. Sed, quod huc pertinet, ex omni Purpuratorum numero unus Vercellinus Vicecomes denudatum Ducis gladium alte præferens, indicium & inſigne Regii Juris, proxime ante Galeatium adequitabat.

VII. Sed illuc redeo: Joanni Antonio FRANCISCUS ſucceſſit vir pace belloque præſtans, domi & foris clarus; namque Ludovici Gonzagæ, qui primus Mantuæ Dux eſt appellatus, præpoſitus copiis plurimum contulit ad ejus dignitatem. Hinc per HERCULEM, & JO. BAPTISTAM Senatorem ad VERCELLINUM MARIAM ſtirps devenit, qui ſuperiori ſæculo uſque adeo militari virtute claruit, ut nemo fere Hiſtoricus non illius præclara facta commemoret (1). Primis enim militiæ rudimentis poſitis ſub Ambroſio Spinula in obſidione Bredana, mox ſuis conſcripta ſumptibus cataphractorum Equitum turma Philippo IV. adverſus Gallos militavit in Inſubria, & in Subalpinis; neque ulla oppugnatio, aut ullum fere prælium fuit, cui non interfuerit: fuere autem tum perpetuæ dimicationes, excurſuſque bellici ad annos plurimos. Sed ejus potiſſimum

(1) Vid. Vulpium t. 2. p. 147... Gualdum Prioratum hiſt. P. 2. l. 10. Batt. Nani hiſt. Ven. P. 1. l. 10. A. 1741. Bruſoni hiſt. d' Ital. l. 9. Capriata hiſt. P. 2. l. 18. Vittorio Siri Mercurio T. 1. l. 2. &c.

mum nomen habuit celebritatem in omni Europa, cum A. MDCXLI. Eporediam adverſus omnem Gallicum Exercitum tanta fortitudine, virtuteque defendit, ut Arcurtium poſt maximos conatus, poſtque menſem coegerit a conſilio diſcedere. Ea de re litteræ ad Vercellinum venere plenæ humanitatis a Philippo Rege, qui eum Marchionatu etiam auxit S. Alexandri, quod eſt Oppidum in Laumellinæ tractu; præterea Præfectum Caſtrorum, Inſpectoremque omnium Inſubriæ arcium conſtituit. Atque hic vir tantus bello, non minus eleganti excultoque litteris fuit ingenio. Namque Bibliothecam exquiſitam inſtruxit, ſigna, tabulas, numiſmata, cæteraque antiquitatis, & nobilitatis ornamenta profuſis ſumptibus in domum ſuam contulit. Sed Patriæ monumenta nemo plus illo conquiſivit, aut diligentius explicavit. In his ea ſunt volumina, quæ Familiarum a Stirpe ad hanc ætatem propagines oſtendunt. Ordine enim congeſſit, atque indice Virorum, & Fœminarum diſtinxit *Comparitiones*, quas vocant: ſunt autem documenta, quæ, qui Nobilium Doctorum Collegio adſcribi volunt, proferre debent, rite, recteque a Cenſoribus ac Judicibus comprobata. Horum nos ſtudio non minimum adjuti ſumus, uſi humanitate Marchionis EVERARDI Vicecomitis, qui GREGORII Filius, JOSEPHI MARIÆ Nepos, Vercellini Pronepos celſa erectaq. animi virtute, & indole Avorum famam ſuſtinet: atque illi dignitas etiam conciliatur amplitudine, ſapientiaque Avunculi Joſephi Puteobonelli Cardinalis, Archiepiſcopi Mediolanenſis, quem nemo, modo Religionem amet & Patriam, non admiretur,

ac

ac diligat. Hæc altera eſt progenies ab Uberto Matthæi Magni Fratre profecta per Joannolum Vicecomitem.

Ita denique Familia ampliſſima, quæ ſive antiquitatem, ſive dignitatem, ſive res pace, belloque geſtas conſideres, aut ſpectes, haud ita multis de nobilitate gloriaque concedit; ita, inquam, ſobolis, nominis, virtutiſque propagatione ad hanc uſque ætatem producta eſt; interceptaque poſteritate Ducum ab Matthæo Magno prognata, idem tamen Genus in fraterna ſtirpe Ubertina habet perennitatem.

Stirps Vicecomitum, qui Mediolano

STEMMA I. *Majorum.*	STEMMA II. *Mediol. Principum.*	STEMMA III. *Marchionum S. Viti.*
Heriprandus (1)	Matthæus *Tibaldi Fil.*	Ubertus *alter Tibal. Fil.*
Otho I.	Galeatius I.	Vercellinus
Guido	Actius (3)	Antonius
Otho II.	Lucchinus	Baptiſta I.
Ubertus (2)	Joannes Archiep.	Franciſcus *Vid. St. V.* (7)
Andreottus	Matthæus II. (4)	Baptiſta II.
Tibaldus.	Barnabos	Hermes I.
	Galeatius II.	Baptiſta III.
	Jo: Galeatius (5)	Hermes II. (8)
	Jo: Maria (6)	Franciſcus M.
	Philippus M.	Hermes III.
		Carolus Fr. I.
		Hermes IV.
		Carolus Fr. II. *vivit*.

(1) Heriprandus florebat A. 1130., & ſeq. Ex illo perpetuo in ejus poſteris manſit cognomen Vicecomitum.

(2) Uberti Filius fuit Otho Archiepiſcopus, & Dominus Mediolani, qui Matthæo Magno, orto ex Tibaldo Andreotti fratris ſui filio, Principatum reliquit.

(3) Actio ſucceſſere Lucchinus, & Joannes Archiep., Actii Patrui, Matthæi M. Filii.

(4) Matthæus II., Barnabos, Galeatius II. filii erant Stephani, qui natu ultimus fuit Matthæi M. filiorum. Eos Joannes Archiepiſcopus, Lucchino ſine prole mortuo ſuperſtes Principatus hæredes dixit.

(5) Matthæus II. obiit ſine prole maſcula: Barnabos cum filiis oppreſſus, dejectuſque fuit ſpe omni recuperandi Principatus a Jo: Galeatio Galeatii Fil., qui primus Mediolani Dux fuit.

(6) Joanni Mariæ, Jo: Galeatii Filio innubo, Philippus M. Frater ejus ſucceſſit, in eoque exaruit propago Principum Vicecomitum. Hujus filiam notham cum duxiſſet Franciſcus Sfortia Dux omnium præſtantiſſimus ejus ætatis, ſæculo ſcilicet XV., ſibi aditum aperuit ad Mediolanenſem Principatum.

(7) Franciſcus Fratrem habuit Guidonem auctorem Comitum Lunati Pnteoli, de quibus St. V.

(8) Hermes II. Franciſcum Fratrem habuit, cujus Filii bifariam propagarunt Familiam: namque per Jo: Mariam natu majorem extitere Marchiones *Mottæ*, qui defecere in Marchione Æmilio: ex Baptiſta autem altero Franciſci Filio propago fuſa deſiit in Marchione Joanne Baptiſta ſine prole maſcula.

Dominati ſunt, diſtincta in ſuas Propagines.

STEMMA IV.	STEMMA V.	STEMMA VI.
Marchionum S. Alexand.	*Comitum Lunati Puteoli.*	Philippus *Frater Caroli de quo St. V.*
Ubertus *de quo St. III. Tibal. Fil.*	Guido Frater Franciſci *de quo St. III.*	Nicolaus *vivunt.*
Joannolus *Vercellini Fr.*	Antonius (9)	
Oldo	Jo: Baptiſta	
Maphæolus I.	Coriolanus	
Jacobus	Antonius	
Maphæolus II.	Ant. Coriolanus	
Ambroſius	Nicolaus M.	
Jo: Antonius	Carolus *Vid. St. VI.*	
Franciſcus	Franciſcus Ant. *vivit.*	
Hercules		
Jo: Baptiſta		
Vercellinus		
Joſeph M.		
Gregorius		
Everardus *vivit.*		

(9) Antonius Fratrem habuit Theobaldum, ex quo propago, quæ exaruit, Marchionum Ciſlagi, ſeu Ciſtelagi.

DIS-

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

DE ANGLERIA.

DE Angleria, quod eſt oppidum in Aronæ conſpectu ad Verbani lacus extrema, qua fere Ticinus effluit, multa multi, eaque incredibilia. Non multis Lectorem moror: itaque ſint I. Fabulæ de ejus origine. II. Commenta de antiquis Comitibus Angleriæ. III. An Licini forum hic fuerit. IV. Quando, quamdiu, curque Oppidum habuerit nomen Stationæ. V. Qua ætate, undeque veriſimilius Angleriæ ortum nomen. VI. Summa ſemper dignitas Oppidi. VII. Angleriæ vindicatur Stationæ nomen. VIII. Angleriam veteri dignitati reſtituere quinam ſtuduerint. IX. Uti a tribus ſæculis conceſſerit in ditionem Borromæorum.

I. Ut Vicecomitibus Ducibus adularentur, multi noſtratium tradidere Angleriam ab Anglo quodam Trojano fuiſſe conditam; ejus traduxere propaginem ad Comites Angleriæ, atque ex his Vicecomites duxerunt. Anglum vero alii Aſcanii filium dixere, ut in epitaphio Jo. Galeatii Vicecomitis I. Ducis Mediolani (1).

Cujus ab Angleriæ, primus quos protulit olim
Natus ab Aſcanio trojani ſanguinis Anglus,
Comitibus, ſi priſca petas primordia clari
Nominis atque Domus Vicecomitis, extat origo.

Alii

(1) Ap. Corium Hiſt. Med. l. 4.

Alii autem præeunte Franciſco Philelpho ab ipſis Trojæ Regibus originem Vicecomitum quærunt; Anglum enim Hectoris filium fuiſſe prædicant. Et Philelphus, qua tum florebat auctoritate doctrinæ, tantum effecit, ut Philippus Maria Vicecomitum poſtremus Dux ejus eloquentiæ deceptus illecebra Hectorea ſe progenitum ſtirpe adeo non illibenter acciperet, ut in numiſmatis, litteris, & diplomatis Angli nomen perpetuo fere præferret, uti vel ſolum Lunighium conſulentibus patet (1).

Eſt tamen ridiculum plus multo, quod Ludovicus Sfortia Dux Mediolani VII. eodem ſe profectum Hectoris ſanguine gloriaretur, cum ignoraret nemo eum Blança natum Philippi M. notha, & Franciſco Sfortia Mutii Sfortiæ Attenduli filio, cujus matrem, qui favent, diſſimulant. Uſque adeo inepta eſt, atque inſolens ambitio mortalium, qui rerum ſuarum initia contendunt a Semideis & Heroibus profecta eſſe, in iiſquemet dedicata: longe vero eſt impudentior Aſſentatorum fingendi, mentiendique licentia, qui miſerrimis vaniſſimiſque commentis Potentium gratiam aucupantur. Philelphi dementia merito certe Gaud. Merulæ (2), & Andreæ Alciati (3) reprehenſione vapulavit; neque eſt, cur de Trojana hic fabula laboremus, quam ſobrius nemo non audire reſpuat.

II. Plus aliquanto valuit, valetque apud nonnullos, præſertim apud Genealogicarum Arborum fato-

(1) Lunig. Cod. Dipl. t. 3. (2) Gaud. Merula Gallorum Ciſalp. Antiq. l. 2. c. 15. p. 84.
(3) Alciatus *Inſcriptiones Inſubriæ explicationibus Illuſtr.* M. S. Braydenſe n. 184.

ſatores, commentum de Angleriæ Comitibus, quos volunt Angleriæ fuiſſe dominatos, eorumque eſſe progeniem Vicecomites; ſed in ſtatuenda Comitum origine non conveniunt. Aliqui a Berengario II. Italiæ Rege *Adalbertum*, ex hoc *Attonem*, hinc *Facium* ducunt, *Othonem &c.* nuſquam interpellata propagine uſque ad Ubertum Patrem Othonis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanenſis. Horum ſeriem perpetuam exhibet Volfangus Lazius (1), ubi de Angleriæ Comitibus, deque Mediolani Ducibus diſſerit. Aſt alii Angleriatium Comitum genus in ipſam Langobardorum Regum ſtirpem inferunt.

Primos refellit Scriptorum omnium ſilentium. Equidem Berengarius Adalbertum, & præterea Guidonem, & Cononem, ſeu Conradum Liberos habuit, atque hi, Patre ab Othone I. Aug. capto, ablegatoque in Germaniam, ubi poſt biennium Bambergæ obiit, diu res ſuas reſtituere in Italia ſunt conati. Arnulphus Mediolanenſis Hiſtoricus hæc ita narrat: *Berengarium* (2) *ipſum* [Otho Aug.] *obſeſſione ſubegit, filiis circum quaque diſperſis Widone, Adalberto, & Conone: illum vero cum filiabus, & conjuge captum ſecum devexit in Sueviam*. Hæc anno geſta ſunt DCCCCLXIV.: anno, qui ſubſecutus eſt, facto ad Padum prælio (3) Wido interfectus eſt; Adalbertus autem & Conon fruſtra tentata fortuna, ipſoque Nicephoro Phoca Græcorum Imperatore ſolicitato, diverſum exitum habuere.

Quo-

(1) Volf. Lazius de Migr. Gent. l. 12. p. 824., 840.
(2) Arnulphus l. 1. c. 7. in Collect. Script. Rer. Ital. t. 4.
(3) Id. l. 1. c. 8. Vide etiam Sigonium de Regno Ital., & Muratorium Annal. Ital. ad A. 961., & 964.

Quorum Widone interfecto, Conone pactione quieto, Adalbertus cæteris animoſior diebus vitæ omnibus factus eſt in diverſa profugus: hæc Arnulphus, qui undecimo ſæculo floruit, neque ullam uſpiam mentionem interſerit Angleriæ Comitum, quos uno vix ſæculo interpoſito quis exiſtimet eum ignoraſſe ab Adalberto profectos? Aut quomodo in diverſa profugum dixiſſet, ſi Angleriæ Comitatum tum ſane amplum obtinuiſſet, & hæreditarium liberis ſuis reliquiſſet? Equidem ſcio ab Calco tradi (1), liberos, nepoteſq. ejus mediocres opes in Circumpadanis ſortitos fuiſſe, atque ut aliquo titulo claritatem generis, regiamque Berengarii & Adalberti progeniem præferrent, a nomine Avi Berengarios ſe appellaſſe. Quo hæc argumento ductus affirmet Calchus neſcio: fortaſſe vulgari favit traditioni, quod aliqua Familia Berengariam ſe, aut quid ſimile nominet. Adalbertus Othonem Gulielmum genuit quidem; ſed Gerberga ejus uxor Adalberto mortuo, cum iterum nupſiſſet Enrigo Burgundiæ Duci, atque ex iis nuptiis ſoboles non extitiſſet, Enrigus moriens in Othonem privignum Principatum ſuum tranſtulit: atque Othonis progenies diu illic floruit. Hæc ex Sammarthani, & Blondelli Genealogia Francica diſcimus (2) de extorri Adalberti familia.

At qui Comites Angleriæ a Langobardis Regibus ducunt, incredibile quantum imponant. *Ab his Regibus*, ait Georg. Merula (3), *prognatos Angleriæ Comites*

(1) Triſt. Calchus Hiſt. Mediol. l. 6. p. 117.
(2) V. Muratorii Annal. T. 5. A. 966. p. 418.
(3) Georg. Merula *Antiquitates Vicecomitum* l. 1. ſub fin. l. 5. init.

mites recentiores Hiſtorici tradunt. Alio autem loco: *Vicecomitum Gentem a Regibus Langobardis prognatam ſatis conſtat:* tum Angleriatium Comitum hiſtoriam attingens, eorumque dignitatem explicans ait tenuiſſe conſuetudinem, ut *Archiepiſcopo ſubſervientes regia ornamenta deſignandis Cæſaribus imponerent*, *quaſi ita demum Regni* [Italiæ] *titulus legitimus*, *&* *coronatio ſolemnis haberetur*, *ſi regia miniſtrante ſtirpe tradita fuiſſet*. Fabulæ aniles! De hoc Angleriæ Comitum munere nihil Landulphus Senior Mediolanenſis Hiſtoricus XI. ſæculi, qui collata (1) Othoni Magno Italici Regni Inſignia deſcribit; nihil Liturgia (2) adhibita ſub finem XI. ſæculi, dum Corona ferrea donaretur Henricus tertius, aut quartus uti communius uſurpatur. Et quidem qua non diligentia ibi curioſius ſingula ſingulorum officia deſcribuntur, & munia, quæ, qui intererant, præſtabant, ne ipſis quidem prætermiſſis Senioribus Viris ac Fœminis, quæ ordinem ducunt in Sacris Solemnibus, & ſupplicationibus Metropolitanæ Eccleſiæ Ambroſiano ritu? Itaque non eſt fidendum Chronicæ M. S. Bibliothecæ Ambroſianæ ſæculi XIII., quæ interpolata eſt, & haud dubie in Vicecomitum gratiam ea injecta, quæ de Angleriæ Comitibus in Coronatione Italiæ Regum mutuatus eſt Merula (3).

Sed Langobardorum propaginem magna eruditionis

(1) Landulphus Sen. Hiſt. Med. l. 2. c. 13. in Script. Rer. Ital. t. 4.

(2) Muratorius Anecd. t. 2. p. 328. primæ edit. Vide etiam Julinum *Memorie della Città, e della Campagna di Milano ne ſecoli baſſi* ad A. 1081.

(3) V. Murator. lib. cit. p. 325.

tionis pompa tuetur Valerianus Caſtillionæus (1). Hic Deſiderio, poſtremo Langobardorum Regi, Filios duos tribuit Adelgiſium, & Berardum ſive Bernardum, quem etiam Anſprandum nominat; binominem enim ait fuiſſe æque ac Adelgiſium, quem Theodori quoque donat nomine: contendit vero ab Ludovico Pio Anſprandum conſecutum fuiſſe Angleriæ Comitatum, ſupraque centum annos gravem, filios ſex reliquiſſe, ex quibus Eporodiæ, Angleriæq. Marchiones, & Comites extiterint: hæc ille multis diſputat. Nunc non quæro, an ex Deſiderio Anſprandus hic fuerit? in re tanta, tantiq. momenti quis non rationes, & monumenta a Caſtillionæo expectet? Sed nullum profert præter conjecturam, quod ſcilicet Ludovicus Pius alios plures fortunis ſuis exutos, aut exules reſtituerit.

Mihi non multum eſt otii, aut voluntatis, ut hac de re poſſim longius diſſerere: paucis, Deſiderio præter Adelgiſium filios alios fuiſſe nemo veterum tradit, &, *nullo in facto publico, nullo in privato, nulla in litterarum, nulla in ſepulchrorum, nulla in monetæ inſcriptione Comitum Angleriæ, ſive, ut quidam politius ſe dicere putant, Inglexii, titulus legitur*, placet (2) cum Calcho affirmare, remque plane conficere. Hoc tamen moneo mihi ſermonem eſſe de Comitibus hæreditario jure Angleriæ dominantibus longiſſima ſerie, ex quibus illi Vicecomites confingunt; namque Angleriam Comitatum fuiſ-ſe,

(1) Caſtillionæus in Adnotationibus ad Regnum Italiæ Equitis Theſauri Adnot. 13., & 227. Regni tertii.

(2) Triſt. Calchi Fragmenta M. S. apud Saxium in Apologia Corp. SS. Gervaſ. & Prothaſ. c. 7. n. 105.

ſe, habuiſſeque identidem Comites, qui aut aliquot annos, aut, iis dum vita ſuppeteret, dono Regum aut Cæſarum Comitatu fruerentur, poſtmodum oſtendam.

Cæterum hæc omnis Angleriæ Comitum conſuta eſt fabula ſæculo XIV., medio tempore inter Stephanardum de Vicomercato, & Galvaneum Flammam Rerum Mediolanenſium Scriptores. Prior obiit ſæculo XIII. inclinante, cumque conſcripſiſſet Poema, aut verſus de Othone Archiepiſcopo, qui primus ex Vicecomitibus Patriæ Principatum habuit (1), ne voculam quidem extulit, quæ Angleriæ Comitum ſuſpicionem excitet. Alter Anno circiter MCCCXXX. in Vicecomitum tum ampliſſime regnantium gratiam, & laudem Angleriæ Comites protulit, & primus fortaſſe omnium procudit, atque illum ſecuti ſunt Corius, Leander Albertus, aliique.

Quod vero ad Stirpem Vicecomitum pertinet, non audiendum cenſeo Georg. Merulam, clariſſimi Generis originem miris fabulis fœdantem. Nimirum illo auctore Friderici I. Aug. ætate Angleriæ Comitum Familia eodem, quo Mediolanum, obruta eſt excidio: *ſi qui* (2) *autem elapſi periculo fuere, ad invidiam mitigandam, quam appellatio Comitum præſeferebat, Vicecomites deinceps, quaſi ſuperadditis litteris odium imminueretur, appellari voluere.* Ride novitatem inventi: ubi de Vicecomitum origine, & Principatu diſputabo, oſtendam quanto antiquior ſit Friderici ætate familiæ Vicecomitum appellatio;

Vice-

(1) Script. Rer. Ital. tom. 9.
(2) Georg. Merula Antiq. Vicec. l. 5.

I 4

Viceccomitum dico Mediolanenſium; namque Vicecomitum nomen apud alias nationes eſt antiquiſſimum: legimus enim S. Gregorium Magnum litteras ad Maurum Vicecomitem dediſſe (1), & in Legibus Langobardicis ex Codice (2) Lidembrogii *Vicecomitis* munus occurrit. Itaque prudenter Triſtanus Calchus diploma referens (3) Caroli Calvi ſub A. DCCCLXXXI. hæc ſubdit: *ſubſcripſit Petrus Vicecomes; & hæc prima mentio* (apud Inſubres) *Vicecomitum, quod obſervaverim: ac neſcio an tum officii dignitatiſve appellatio foret*. De his hic ſatis.

III. De Angleriæ origine veriſimilior videtur P. Gaſp. Berettæ Abbatis Caſſinenſis opinio (4), qui, quo eſt loco Angleria, fuiſſe putat Licini forum memoratum a Plinio his verbis (5): *Orobiorum ſtirpis eſſe Comum, atque Bergamum, & Licini forum auctor eſt Cato*. Cluverius (6) contra putat Liciniforum Vicum fuiſſe *Barlaſſinam* medio fere Mediolanum inter & Comum itinere: quo niti potuerit argumento, ignoro; plerique noſtratium Plebem Incini (*Pieve d'Incino*) arbitrantur, ducti vocis ſono, qui propius Forum Licini ſonat; ſed nulla antiquitatis veſtigia Incini nobilitatem tantam ſuſtinent, præter unam alteramque Inſcriptionem, uti ubique paſſim in aliis noſtris obviæ ſunt Pagis. Sunt denique, qui Licinii Forum traducunt ad Oppidum Leucum

(1) S. Greg. l. 8. Ep. 18. ad Agnellum Epiſc. Terracinæ. (2) Tit. 30. l. 2.
(3) Triſt. Calch. Hiſt. l. 5. p. 108.
(4) Tab. Corograph. Ital. n. 67. V. Script. Rer. Ital. tom. x.
(5) Plin. l. 3. c. 17. (6) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 25.

cum atque hi auctoritati fidunt Caroli Cavatii de Somalia (1), qui, ubi de Leuco (*Lecco*) oppido loquitur, refert in pago Caſtello, qui paulum ſupra Leucum eſt, repertum Vitulum æneum, unde Campanam Caſtellani conflarunt; aram autem, cui erat impoſitus, inſcriptionem habuiſſe.

JOVI O. M.
HOC SIMULACR.
LICIFOR.
POPULI
DICAR.

Ara, quæ dicitur in Parochi ædes translata, nuſpiam viſitur, ut expendi diligentius poſſit. Georg. Com. Julinus Antiquitatum Urbis, Agrique Mediolanenſis ſcrutator, Scriptorq. eximius nihil non effecit, uti eam quoquo Pagi loco deprehenderet: fruſtra labor, curæque reciderunt: hæc me ille, qua eſt veteri erga me humanitate & amicitia, admonuit; atque utrique ſuſpicioſa eſt viſa Inſcriptio. Quid enim de unius Oppidi Populo cum res ſit, quid, inquam, *Populi* inducuntur? Dicarunt autem, ita ut eſt exaratum (*Dicar.*) fortaſſe exemplo caret in veterum monumentis. Multa alia ſuſpicioſa omitto.

Me in Berettæ opinionem rapiunt multa, eaque permagna antiquitatis argumenta, & monumentorum infinita congeries, quæ etiamnum Angleriæ videntur, licet plurima aut aliò tranſportata,

ta,

(1) Cavat. de Somalia *Nuova Deſcrizione dello Stato di Milano*.

ta, aut ibidem ad oppidi ædes, uſuſque traducta, aut nemine curante diruta, jam deſiderentur. Tantum tamen ſupereſt, ut quæ Romana ætate eſſet oppidi amplitudo, deſignet. Sed multo plura, atque illa perquam ſane magnifica extabant ſæculo XVI. Andreas Alciatus (1) ſuperſtites ætate ſua Angleriates Inſcriptiones, formamque lapidum mira arte, & delicatiſſimis ſymbolis elaboratam exhibet: neque id tantum, ſed monumenta, uti ſolet, explicans, nobilitatem cæterorum monumentorum cum admiratione commemorat. Hæc ejus verba, quæ fere exſcripſit Gaudentius Merula (2): *Angleria, nobile Agri noſtri propter Verbanum Lacum oppidum, non modici apud veteres fuiſſe nominis videtur: in eo enim paſſim cernere eſt vetuſta monumenta, elaboratos tumulos, urnas, templa, cryptas, porticus, columnas, id genus vetuſtatis inſignia.*

Tot porro, tantaque monumenta, quot quantaque ne in ipſis quidem veterum Civitatum veſtigiis haud ita facile recurrunt, profecto a Romanis non ſtatuebantur in pagis: igitur alterutrum fuit Angleria, aut Urbs, aut Forum: Urbs ſi fuiſſet, non eam præteriſſet Plinius, cui ſane erat omnis Orobiorum regio perſpecta, quique ex ipſis Orobiis profectus fuerat, uti contendunt Novocomenſes, ejuſque Villa, & Fons, & monumenta in Lario lacu videntur confirmare: itaque dicendum Forum fuiſſe, quod ille cum Bergamo & Como commemorat.

Fa-

(1) Alc. Inſcr. Inſ. num. 185.
(2) Gaud. Merula Gall. Ciſalp. Antiq. l. 1. c. 5. l. 2. cap. 15.

Favet loci ſitus, ut ita exiſtimemus, cum extremi Orobiorum fines in Angleriam deſinant Occidentem verſus Sicut enim Lepontii alpes fere omnes, valleſque habebant ſupra Verbanum, Lariumque continenti ſpatio procurrentes, reſpicienteſque Inſubriam; ſic colles, altitudineſque alpibus ſubjectas inter utrumque Lacum Orobii inſederant. Ad hæc, Angleria adjacet Verbano Lacui, ad quem valles multis magniſque nationibus refertæ pertinebant; & Romanorum Cæſarum ætate crebræ ibi erant Legionum manſiones, præſidiaque diſpoſita adverſus Helvetias, aliaſque Tranſalpinas Gentes, quibus illinc commodior erat in Inſubriam aditus. Incredibile vero videtur tantam regionem, quantam utraque explicat Verbani ora, ſine Foro fuiſſe, quod & iis nationibus jus diceret, & uſui Romanis Legionibus poſſet eſſe.

Denique conjecturam confirmat Inſcriptio; eam refert præter Alciatum Merula [1]: ſic habet

MERCURIO
C. ALBINUS C. F.
OUF. MASCELLIO
IIIVIR ALP. PRAEF. J. D.
JUDEX V. DEC
NOMINE SUO ET
JULIAE INGENUAE UXORIS
ET ALBINORUM
JULIANI MASCELLIONIS

IN-

(1) Alciati Monum. n. 188., Gaud. Merula lib. cit. l. 2. pag. 85.

INGENUAE MONTANAE
LIBERORUM SUORUM
V. S. L. M.

Ex iis, quæ præfert inſcriptio, ſenſit Alciatus Angleriæ non paganum Arbitrum, ſed quinas Judicum Decurias jus reddidiſſe. Ego igitur ſic ſtatuo: Fora erant Civitates, aut oppida conſtituta etiam ad reddendum jus, & ad Nundinationem; Jus dictum Angleriæ fuiſſe declarat C. Albinus Maſcellio Præfectus Juri dicundo &c. Nundinationem deſignat cultus ab Angleriatibus, uti hæc, aliæque ibidem Inſcriptiones produnt, habitus Mercurio, qui mercimoniis vendundis, emundiſque præerat; non itaque temere pronuntiamus Angleriam fuiſſe Liciniforum, nominatum a Plinio.

Liciniforum, debuit interiiſſe circa Juſtiniani ætatem, exciſum a Gothis, qui & ubique paſſim in Italia antiquæ nobilitatis oppida diruerunt, & Inſubriam repetitis perculerunt cladibus, Mediolano cæteriſque alicujus nominis Urbibus everſis, Romanique nominis odio monumentis veterum disjectis: idque eo magis, quod ſciebant apud Inſubres ſummam eſſe Romanæ magnitudinis admirationem. Documento eſt Pictura aut in foro, aut alibi propalam Mediolani proſtans, quæ Romanos Cæſares in aureis deſignabat ſoliis proterentes pedibus interfectos Scythas. Quod Attilas urbe capta conſpicatus, juſſit e veſtigio expungi, ſubtexique imaginem, quæ illum, ſuperbæ Gentis domitorem exhiberet; Scytharum autem loco Romanos Cæſares depin-

pingi ſacculos auro plenos humeris gerentes, profundenteſque ad ejus pedes [1].

Fortaſſe etiam Fori Licinii renovata eſt clades a Francis, qui quartò ſub Authari Langobardorum Rege irrumpentes A. DXC. ad Verbanum uſque procurrerunt [2], indeque impetum in Inſubriam fecerunt. Omnino hoc *conſtat ex Annalibus noſtris* [Angleriam] *a Barbarorum irruptionibus in Italiam prædæ ſæpius fuiſſe expoſitam* [3].

IV. Foro everſo non ejus tamen concidit fama: reſtitutum ac refectum, deinceps nomen Stationæ habuit, Præfecturaque fuit late patens ad Alpinas Gentes. Gaudentius Merula poſt Alciatum ſuſpicari videtur, nonniſi ſublato Langobardorum Regno inſtauratam & florentem Angleriam fuiſſe: *Alpinarum*, inquit, *puto Gentium Præfectura fuit, in qua ſub Carolis Berengariiſque Imperatoribus jus dicere, qui a Comite Mediolanenſi ad hoc Magiſterium delectus eſſet, ſolebat, & ideo Vicecomites dictos* [4]: mox quid Angleria fuerit dicam, nunc Stationæ nominis originem ſequor.

V. Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis, vir ſane doctus, [5] ut hujuſce vocis etymon explicet, ait Alciatum ſenſiſſe a ſtatione Legionum Romanorum nomen profluxiſſe: hæc illi mi-

(1) Svidas V. Mediolanum.
(2) Paulus Diac. Langob. l. 3. c. 32. Gregorius Turon. lib. 10. cap. 3.
(3) Bonav. Caſtillionæus *Gall. Inſubr. Ant. Sed. p.* 42.
(4) Gaud. Mer. Galliæ Ciſalp. Antiq. l. 1. c. 5. ex Alciato mon. 183.
(5) Baſil. P. *Novaria ſacra* p. 80.

minus placet ſententia ; revera enim pluries hoc deberet nomen occurrere in Inſubria, atque in Verbano præſertim Lacu, ubi Stationem habuiſſe paſſim Legiones ſcimus: ipſe a Statione navium profectum nomen arbitratur; ejus opinionem Beretta amplectitur, & cenſet a Regibus Langobardis exædificatum oppidum fuiſſe contra tranſalpinorum excurſiones; ibi propterea conſtitutum Navale, nomenq. adeo inditum Stationæ.

Mihi loci ſitum circumſpicienti hæc veriſimilior videtur ſententia. Opportunitatem enim habet miram ad accipiendas militum copias aut Papia aut Mediolano ſubmiſſas, & ad eas navibus tranſportandas, quaqua tranſalpini parte ſe oſtenderent in Verbano lacu, ad quem commodior erat deſcenſus Tranſalpinis in Inſubriam irrumpentibus. Præterea cum Angleriæ ſitus una ex parte aditum aperiat in patentem, continentemque planitiem Inſubriæ; ex altera ſubjecto Lacui dominetur ſic, ut inde immittere ſe nemo in Ticinum defluentem, properantemque Papiam poſſit, quin edito colli ſubjaceat, cui Angleriæ Arx inſidet, hoc erat firmiſſimum propugnaculum adverſus Barbaros, ne aut procurſionibus Mediolanum ferrentur, aut ſecundo flumine Papiam, Regni Langobardorum ſedem, repentino impetu adnavigarent. Fortaſſe etiam Stationæ nomen nautico celeuſmate inditum primitus fuit, quod Papia illuc adnavigantibus ægro admodum, difficilique curſu ob adverſum flumen, tandem Ticino emenſo ſe ſe illa primum offerret quies, & ſtatio Lacum ingreſſis.

Stationę nomen recurrit ab Anno, quod ſciam, DCCLXX.,

DCCCLXX, ut inferius oſtendam, ad A. MCCXI. hoc enim anno legitur Inſtrumentum confectum a a Martino (1), *qui fuit de Staciona*, licet anteriori jam ſæculo *Angleria* nominari cepiſſet.

V. Hoc nomen primus fortaſſe omnium protulit Landulphus a S. Paulo, ubi S. Arialdi mortem deſcribit (2): *cum autem ductus eſſet Angleriam, per alios magis fidos milites Aronam ducitur*. Landulphus ſcripſit uſque ad A. MCXXXVI. Nomen Alciatus ab Anglo-ſaxonibus relictum opinatur; Leand. Albertus (3), & Paulus Merula (4) Alciato dant manus: at Saxones quidem, cum Langobardi in Inſubriam irruerent, deſcendiſſe remeaſſeque celeriter ad ſuos Hiſtorici tradunt; Anglos vero deveniſſe in Inſubriam memorat nemo: neque certe, quod hi cum Saxonibus Britannia potiti ſunt, dicendi propterea una ſimul in Italiam deſcendiſſe.

Ingenioſius Ambroſius Mazenta Clericus Reg. S. Pauli ab Angerona Dea nomina Angleriæ, & Aronæ confinxit ſic, ut *Ange-rona* pars prior *Angeriam*, pars altera *Ronam* pareret. Hæc (5) Novariæ Sacræ auctori probatur opinio, eo quod Angerona Dea voluptatis eſſet, præeſſetque amœnis locis, uti reapſe Verbani ſunt oræ. Atenim fallitur quiſquis An-

(1) V. Zaccariam de SS. MM. Aronenſibus Carpophoro, Gratiniano, & Felino p. 142.
(2) Ap. Puricellum de SS. MM. Arialdo &c. l. 3. c. 30. pag. 151.
(3) Albert. Deſcr. Ital. mihi p. 446.
(4) Paul. Merula Coſmogr. p. 929.
(5) Baſilica petr. Nov. ſacr. p. 80.

Angeronam ejuſcemodi putat. *Priſci* (1) *duas Divas coluerunt Angeroniam*, *&* *Volupiam*, *alteram ab angoribus dictam*, *alteram a voluptate*; *&* *Angeroniæ quidem Pontifices in ſacello Volupiæ ſacrum faciunt*, *ſignificantes dolores ac voluptates in vita hominum invicem mixtas eſſe*. *Addunt Angeroniæ ſimulacrum in ara Volupiæ ſuiſſe collocatum*, *quod dolor comes ſit voluptati*, *&* *voluptas dolori*, *ac figura*, *ut os habeat obligatum & ſignatum*.

Hæc Manutius fere ad verbum ex Macrobio [2], a quo tamen alibi [3] de Angerona plus aliquid ſcimus. Cum enim Romani arcano ſilentio tutelare Numen, nomenque Urbis occultarent, ne quo adverſo bellorum caſu evocari Deus poſſet ab Hoſtibus, & devota fieret Civitas, quod illi anathema acerbiſſimum & fatale putabant, qui, hæc ut reſcirent, curioſius perſcrutati ſunt omnia, diverſi diverſum Deum tutelarem Urbis fuiſſe exiſtimarunt, nec defuere, qui arcanum numen, ipſiſquemet, qui colerent, ignotum, Angeronæ imagine repræſentari arbitrarentur, eo moti indicio, quod Dea digito ad os admoto ſilentium denunciaret. De nomine autem arcano præter Macrobium, Plinius hæc [4]: *Superque Roma*, *cujus nomen alterum dicere Arcanis ceremoniarum neſas habetur*, *optimaque & ſalutari fide abolitum*: *enunciavit Valerius Soranus*, *luitque mox pœnas* [in crucem actus]. *Non alienum videtur inſerere hoc loco exemplum religionis antiquæ*, *ob hoc maxime ſilentium*: *namque Diva Angerona*, *cui*

(1) Paul. Manutius in Adag. col. 1139.
(2) Macrob. Saturn. l. 1. c. 10. (3) Id. l. 3. c. 9.
(4) Plin. l. 3. c. 5.

cui ſacrificatur ad XII. Cal. Jan., *ore obligato obſignatoque ſimulacrum habet*. Eadem habent Solinus [1] & Servius [2], qui etiam alterum urbis Romæ nomen afferunt *Valentiam* fuiſſe.

Sed ut eſt, neque enim hæc iſthuc pertinent, Angleriæ ab Angerona originem refellunt, & coarguunt priſca diverſis temporibus Oppidi nomina; quorum noviſſimum, & vix duodecimo ſæculo auditum eſt Angleria. Crediderim potius populari quodam dicendi genere invaluiſſe, ut cum eò proficiſcerentur ex mediterraneis pagis, dicerent ſe *ad Glaream* Verbani ire; ex quo, migrante ſenſim ad hanc Italicam lingua Latina, deventum deinde fuerit *ad Giera*: *Giera* enim noſtratibus idem fere ſonat ac ripam, ſive oram lacus, aut fluminis: poſtremo *Angiera* italice, latine *Angleria* extitit. Hæc Bonav. Caſtillionæus [3], & Beretta [4] ſuſpicantur; quam novi nominis formam a conſuetudine putant non abeſſe eorum temporum; namque pari ratione regio inter Abduam & Serium fluvios ſita, *Glarea Abduæ* fuit appellata, noſtratibus *Giera d'Adda*.

VI. Quoquo tamen modo extiterint nomina, ſumma ſemper dignitas Oppidi fuit. Quid Romanorum fuerit ætate ſuperius diximus: Curiam deinde quandam judiciariam, & Præfecturam Gentium Alpinarum fuiſſe, qua diſſiti ab Urbe Mediolani populi, & duriora, locorumque aſperitate acriora ingenia legum gubernarentur auctoritate, & manſueſce-

(1) Solinus c. 1.
(2) Servius ad Æneid. l. 1.
(3) Bon. Caſtillion. libr. cit. p. 45.
(4) Beretta Tab. Corogr. n. 67. ſub fin.

ſcerent, ſenſere Alciatus, Caſtillionæus, Gaud. Merula (1). Mihi vero plus aliquid videtur; & Civitatem ſuſpicor fuiſſe, tametſi prærogativa Epiſcopatus deeſſet.

Hoc inde conjicio, quod Comitatus, ut vocant, jam inde ab nono ſæculo fuerit. Donatio (2) enim ab Ludovico II. Angilbergæ Auguſtæ Conjugi A. DCCCLXX. *conceſſa & æternaliter confirmata ſub perpetua dominatione*, habet *Sextum Cortem noſtram in Comitatu Cremonenſi, ſed & Cortem noſtram Leocarni in Comitatu Stationenſi*: Leocarnum [*Locarno*] eſt fere ad Verbani caput, ex quo licet obſervare quam late Stationæ ditio pateret. Præterea in teſtamento Angilbergæ ſtatuuntur *in Comitatu Stationenſi Curtes Cabroy, & Maſinum* (3): igitur Stationa jam tum ſuos habebat Comites.

Comites duabus quandoque Civitatibus, plerumque vero uni præerant, ejuſque Agro; & Jus dicebant, quin iis tamen munus incumberet cuſtodiendorum limitum, ac finium. Namque ſi limitanea, ut ita dicam, erat regio, qui præerant, *Marchiones*, qui autem toti erant Provinciæ præpoſiti, *Duces* nominabantur, atque horum videtur dignitas præcelluiſſe: in Regum enim, & Cæſarum diplomatis primi appellantur, & crebro interdicitur, ut *nullus Dux, Marchio, Comes* contra faciat. Pagius tamen obſervat (4) voces has ad idem ſignificandum aliquoties fuiſſe uſurpatas; & de Mathilda apud Donizonem, alioſ-

(1) Loc. citatis.
(2) Muratorius Ant. It. t. 2. col. 114.
(3) Id. ib. col. 112.
(4) Pagius ad Baronium A. 1093. n. 3.

aliosque legimus: *Domna Mathilda Comitiſſa ac Ducatrix :* & *Marchiſa Matildis*.

Quidquid ſit tandem de horum dignitate ac præſtantia, hæc ediſcimus ex iis, quæ ſunt a pluribus in hanc rem diſputata (1), Comites non a Comitatu nomen habuiſſe, ſed ipſos urbi, agroque, cui præerant, Comitatus titulum impertiſſe : præterea olim, ſcilicet ante milleſimum, ejuſmodi Comitatus non Familiis adhæſiſſe, ſed nutum Principis ſpectaſſe; plerumque vero nonniſi cum vita deponi conſueviſſe, quin ad Comitum filios tranſmitterentur: denique, quod ad rem noſtram præcipue pertinet, Comites tum, in Italia præſertim, nonniſi Civitatibus præfuiſſe nec niſi ſub XI. ſæculum Comites Campeſtres extitiſſe : quamobrem jure Stationa in Civitatibus habenda.

Quamquam, tametſi hæc nullius momenti eſſent, præſto eſt veterum Scriptorum auctoritas, qui Angleriam Civitatis nomine appellant. Vita (2) S. Julii ex antiquiſſimo Codice M. S. Colonienſis Charthuſiæ : *Exinde autem progreſſi* [SS. Julius & Julianus] *veniunt ad Inſulam modicam*, *quæ eſt. in lacu*, *qui ſubjacet Civitati*, *quæ nuncupatur Stationa*. Eadem fere Mombritius habet. Gualvaneus Flamma (3) de amplificata Mediolanenſium potentia hæc ad A. MCLXVII. *Civitas Angleriæ*, & *Civitas Brianziæ* [hæc eſt exciſa] *in noſtra oppida rediguntur*. Diploma

(1) Muratorius Antiq. Eſtenſ. c. 5. Ant. It. Diſſert. 6. & 8. tom. 1. Beretta Tab. Corogr. Sect. x. n. 34., & ſeqq.

(2) Acta SS. Bolland. 31. Jan. c. 2.

(3) Script. Rer. Ital. tom. 11. col. 649.

ma Venceslai Rom. Reg. (1), ad Joannem Galeatium Vicecomitem Mediolanenſium tum Principem (fuit enim poſt bimeſtre ſpatium Mediolani Dux ex ejuſdem diplomate) (2) Angleriæ nomen Comitatus attribuit antiquitus: *Terram illam*, inquit, *quæ quondam Civitatis, & Ducatus honore fulgebat*.

Scio in Actis S. Arialdi, quæ undecimo ſæculo ſcripta fuere a B. Andrea Monacho Vallombroſano, Angleriam Vicum nominari, uti inferius afferam. Sed contra eſt, quod tam poſt XI. ſæculum civitas a Scriptoribus appellata fuit, quã ante, ut conſtat ex Vita S. Julii, cujus etſi ignoretur, ætas qua ſcripta fuerit, certe tamen debuit fuiſſe contexta ex iis, quæ prope ætatem SS. Julii & Juliani conſignata ſcriptis fuerant: floruere autem Theodoſio Magno imperante. Fortaſſe ſæculo XI. Stationa, ſive Angleria, bellis tum frequentibus inter Mediolanenſes, & reliqua Inſubriæ oppida, cladem paſſa, potuit B. Andreæ Vici ſpeciem præferre: omnino unius Scriptoris auctoritas non infringit plurium fidem in ejuſcemodi rebus. Quod conſequitur, illud eſt Angleriam ex Civitatis gradu decidiſſe aut ſæculo duodecimo, quod deſignavit Flamma, cum ait Civitatem Angleriæ, oppidum Mediolanenſium factum; aut anteriore ſæculo belli injuriis attritam veterem dignitatem amiſiſſe, & vici formam induiſſe.

VII. Non eſt ſilentio prætereunda jam opinio Novarienſis docti ſane Viri, mihique ſumma amicitia

(1) Ap. Lunig. Cod. Diplom. tom. 3. pag. 382.
(2) Id. ibid. 386.

citia conjuncti, Joannis Baptiſtæ Bartoli Canonici Gaudentiani, quem audio ſuſpicari Stationæ nomine non Angleriam, ſed *Grignaſcum* venire, Pagum Novarienſem. Plurimi facio hominis amiciſſimi Doctrinam, ingenium, laboreſque maximos, quos illuſtrandæ Patriæ hiſtoriæ impendit; ſed mihi probatu difficillima ejus videtur ſententia. Affero quæ adverſantur, potiſſimum ex B. Andreæ narratione, ut ea Vir prudens atque acris expendat.

De S. Arialdi morte neceſſario hic aliqua ſunt attingenda, quæ per ſe ipſa *Stationa* nomen videntur Angleriæ vindicare. Ejus mortem mira fide ſcripſit S. Arialdi alumnus, poſt vero Monachus Vallombroſanus, atque Abbas S. Fidelis de Strumis B. Andreas, cujus Acta leguntur apud Bolandianos ad x. Martii. En uti ſe habuit res.

S. Arialdus ab Archiepiſcopo Guidone, & Clericis ſimoniacis atq. uxoratis exagitatus cum Mediolano profugiſſet, atque, ut etiam refert Landulphus a S. Paulo (1), in pago Legnano delituiſſet, qui pagus Mediolano abeſt M. P. XIV., a Lacu Verbano XII., perfidia hoſpitis proditus, captus a Guidonis ſicariis, jumentoque impoſitus, *feſtinanter verſus Lacum majorem ductus eſt*. Teſte Landulpho, *Angleriam*, indeque Aronam (Oppidum tum munitiſſimum in adverſa ripa e regione Angleriæ) traductus eſt ad Olivam Archiepiſcopi *Neptim*. Hæc illum per duos Clericos crudeliter cruciatum enecari

(1) Ap. Puricellum de SS. Martyribus Arialdo Alciato & Herlembaldo Cotta l. 3. c. 29. &c.

ri juſſit *in Inſula quadam in* (1) *Lacu Majori ſita:* quam Carolus a Baſilica Petri ait Inſulam eſſe S. Victoris, alteram ſcilicet Borromæarum (2), quæ *Mater* appellatur.

Mors incidit in pervigilium S. Petri, eodemque die ante horam tertiam (3) Mediolani ſcelus divulgatum eſt: *quod ego audiens*, inquit B. Andreas, *tumultuoſam & confuſam protinus reliqui Urbem, eumque* (Arialdum magiſtrum ſuum) *proſecutus ſum. Die igitur eodem, noctequé ſequenti feſtine properans, die altero ad præfatum jam ſole oriente perveni lacum.* Hunc autem Lacum non ullum, qui eſſe potuerit apud Grignaſcum, ſed Verbanum fuiſſe ſuperius dixerat, ubi de ſicariis abducentibus S. Arialdum, *tacite*, inquit, *conciteque contra Lacum Majorem feſtinant pergere*. Progreditur vero in narratione B. Andreas; *ſupra cujus dum incederem littus, & Stationæ, ubi parentela mali Guidonis habitabat, eſſem propinquus &c.* fuſe deinde explicat colloquium ab ſe habitum cum Presbytero ſceleris conſcio, a quo cognovit, varie atrociterque mutilatum fuiſſe, & interfectum S. Arialdum: *Cum autem in jam præfatum ingrederer vicum* [Stationam], *juxta viam reperi Eccleſiam in honorem S. Petri dedicatam, ad quam tum Clericorum Laicorumque multitudo cum proceſſione exibat.*

Hæc porro evincunt, minime Grignaſco convenire Stationæ nomen poſſe. Lacus major aperte a

B.

(1) Ibid. p. 151. (2) A Baſil. P. Nov. Sac. p. 154.

(2) Apud Boland. tom. 5. Jun. p. 297. Ed. Antuerp., & ap. Puricellum lib. cit. p. 108.

B. Andrea, & ab Landulpho nominatur; Stationa in ejus ora deſcribitur; quæ B. Andreæ Stationa, Landulpho eſt Angleria: memoratur Eccleſia S. Petri juxta viam, cujus fatiſcentes vetuſtate parietes ſuperſunt, occurruntque etiamnum non via procul, quæ ad oppidum Angleriam ducit, qui adnexis prædiis & Canonicatus titulo, uſque in præſens S. Petri nomen præſeferunt (1). Iter præterea a B. Andrea ſuſceptum, quodque deinde habuit S. Herlembaldus, ut S. Arialdi cadaver obtineret, non Grignaſcum, ſed Angleriam deducit.

Namque B. Andreas morte Magiſtri ſui cognita, omnia, ita ut audierat, ad Herlembaldum Cottam retulit. Hic tum erat Dux Populi (2) Mediolanenſis (Capitaneum appellabant), S. Arialdo favebat, nihilque intentatum reliquerat, auctoritate etiam Romani Pontificis fretus, ut ad ſanam mentem Clericos ſimoniacos, & moribus perditos revocaret. Herlembaldus aliquamdiu diſſimulandum ſtatuit: Interim cum ſupra S. Arialdi corpus (3) *luminaria præclara* cæpiſſent *per noctes piſcatoribus apparere*, Oliva cadaver in aliam inſulam deportari juſſit, eodemque ſemper ſe prodente prodigio etiam poſtquam tertio occultari curaverat, *irata valde fecit ſaxa ingentia circa ipſum innecti, & in profundum laci dimergi. Veruntamen ibi ubi eſt projectum, tanta eſt aquæ altitudo (ſicut didici a viris illius loci), ut vix fune centum cubitorum quiſquam poſſit ſun-*

(1) Saxius append. ad Vindic. Corp. SS. Gervaſii & Prothaſii p.88. (2) V. Puricelli V. S. Herlemb. c.13. p.221. (3) B. Andr. c. 30. p. 112., & Landulphus.

ſundum attingere. Nam iſdem lacus pro ſui magnitudine Major nuncupatur, & plus quinquaginta milliaribus in longum extenditur.

Quæ poſtquam expoſuit B. Andreas, poſtremo deſcribit, uti decem poſt menſes *in die Inventionis* S. Crucis ſacrum corpus purum, atque incorruptum emergeret, devolutumque ad ripam ab Algiſio quodam conſpiceretur, dum negotii ſui cauſa, *juxta littus tranſiret Laci Majoris*. Qua fama furens fœmina disjici Paſtores juſſit, qui accurrerant, & corpus Aronam ſubductum, decorticata capitis cute, ne agnoſceretur, abſciſſiſque pedibus projecit, ut abſumeretur, *in furno nimis candente*. Denique Herlembaldus tot prodigiis admonitus, cum reddi ſibi ſacrum corpus poſtulaſſet fruſtra, coactoque Mediolanenſium exercitu contra Olivam fuiſſet profectus, illa, quod petebatur, negare non eſt auſa: itaque clam navigio devectum eſt corpus ad lacus fauces, qua Ticinus effunditur, atque in ripa fluminis projectum. Quod Mediolanenſes conſpicati, ſentienteſque vegetum adhuc & ſuaveolens, ſolemni ſplendidaque pompa, ſequente exercitu, Mediolanum deduxere. Hæc anno geſta ſunt MCLXVI., & MCLXVII. (1), eoq. fuſius perſecuti ſumus, quod per ſe ſe ipſa declarant non Grignaſchi veterem, qui fortaſſe fuerit, Lacum, ſed Verbanum, & Angleriam unice Stationæ nomine deſignari.

VIII. Angleriam priſtinæ ſtuduit dignitati reſtituere Ludovicus M. Sfortia Vicecomes Mediolani Dux

(1) De his Vide Julinum T. 4. lib. 24., & 25. ad hos annos.

Dux VII., & Civitatis prærogativa donavit duobus diplomatis datis A. MCCCCIIIC., quibus blande ſibi, quaſi Vicecomitum ſtirpe nato, aſſentatur. In priori diplomate hæc: *Compertum habemus non ſolum fama celebri, ſed etiam vetuſtiſſimis Annalium monumentis, Angleriæ oppidum quondam inter cæteras Italiæ Civitates floruiſſe, illuſtriſſimæque Gentis noſtræ Vicecomitum ſedem primariam extitiſſe. Hæc itaque eſſe diplomata quoque, ſeu privilegia per Venceslaum, olim Sereniſſimum Romanorum Regem, conceſſa inviƈtiſſimo Joanni Galeaz, primo Mediolani Duci atteſtantur. Quæ omnia Nos ad recuperandam Civitatis antiquiſſimæ gloriam & dignitatem, & varias rerum calamitates prope interruptam, accendunt, unde Comitatus titulo Illuſtriſſimi Majores Noſtri, & Nos pariter inſigniti fuimus, ne in obſcuro diutius jacere patiamur. Ob eas res Oppidum & Terram Angleriæ ad priſtinam dignitatem reſtituere volentes, ex certa ſcientia, & ut ſupra in Civitatis nomen, ac titulum, & dignitatem, ob infelices temporum mutationes jamdiu amiſſam reſtituimus, erigimus, creamus &c.*

In altero autem diplomate: *Cum intelligeremus*, inquit, *antiquam dignitatem, & amplitudinem Angleriæ reſtituere, eam in Civitatem ereximus, & in caput per ſe redegimus*. Lazarus Auguſt. Cotta in adnotationibus, quibus illuſtravit *Chorographiam Lacus Verbani Dominici Macanei* confiƈto uſus nomine *Stazi Trugi Catalauni*, enumerat oppida & pagos, quæ Ludovicus attribuerat juriſdiƈtioni Angleriæ (1),

ſeq.

(1) Cotta loc. cit. p. 43. V. etiam Morigiam Hiſt. Lac. Maj. p. 185.

ſeq. ait in manibus habuiſſe numiſma argenteum tum procuſum, in cujus altera facie legebatur *Angleriæ Civitas*, altera exhibebat Matrem Virginem, cum lemmate *Ludovicus M. Sfortia Angleriæ Comes*. Sed afflicta brevi, ac perdita Ludovici fortuna, qui abductus in Gallias, turrique incluſus obiit, Angleriæ quoque decus concidit. Franciſcus II. Ludovici filius Mediolanenſium Dux poſtremus, cogitata Patris perficere conatus eſt; jamque diploma extiterat Dat. A. MDXXIII. tertia Februarii, ſed perturbatæ res, ne uſui eſſet, prohibuerunt.

Maxima tamen Oppidi habita ſemper eſt ratio ſic, ut Hiſpani Reges, quamdiu Inſubriæ dominati ſunt, in diplomatis, monetiſque inſcriberent ſe ſe *Angleriæ Comites;* ſemperque floruit nominis celebritate, ædium amplitudine, annuis nundinis, immunitatibus, & vetuſtæ arcis majeſtate, quam munitiſſimam regiis exſtruxit ſumptibus Joannes Vicecomes Archiepiſcopus, Princepſque (1) Mediolani, vel potius ex veteris caſtelli ruinis reſtituit; tum enim Angleria Archiepiſcopo Mediolanenſi parebat.

IX. Ad Archiepiſcopos autem pertinuiſſe inde uſque ab XII. ſæculo, videtur monumentis conſtare, quæ protulit Saxius (2). Sed A. MCCCLXXXV. ſubducta Mediolanenſis Eccleſiæ patrimonio fuit, conceſſaque Catharinæ (3) Conjugi Joannis Galeatii Ducis, cum *Tayno* & *Guarniſio*, impoſita vectigali mar-

(1) Bonav. Caſtillionæus lib. cit. p. 42.
(2) Saxius Append. cit. 2. 29.
(3) Ripamontius Hiſt. Urb. Med. Decad. 1. p. 239.

marca argentea. Succedente Sæculo denique a Philippo M. Vicecomite Duce tradita, conceſſaque fuit Borromæis propinquis ſuis. Duxerat enim Philippus M. Beatricem ex Tendæ Comitibus, Joannis Borromæi Materteram (hic enim natus fuerat ex Talda ſorore altera, natu majore, quæ in Borromæam Familiam venerat); ex Beatricis autem nuptiis non ſolum ad XL. aureorum M. ad Ducem (1) pervenerant dotis nomine, ſed Civitates etiam per multæ, & pleraque Inſubriæ pars; nimirum Papia, Novaria, Derthona, Novocomum, Variſium, Caſſanum, Canturium, Roſatum, Briantiæ colles, omniſq. Verbani Lacus ditio, quæ Comiti Facino Cani parebant, cui Beatrix primo nupſerat, quæque illa ſibi ab Conjuge relicta maximis atque exercitatiſſimis Viri ſui copiis tenebat. Itaque cum tanti momenti nuptiæ illæ fuiſſent; ut diſtractum Mediolanenſe Imperium componerent, cumque earum conciliator (2) fuiſſet Comes Joannes Borromæus, atque plurima ejus alia erga Rempublicam, Ducemque eſſent promerita, Philippus M. Dux nec nimiam referre ſe gratiam cenſuit, ſi Vitaliano, qui Joanne uſus erat Patre, Angleriæ, Aronæ, aliorumque in Verbano Lacu oppidorum ditionem concederet. Ex illo Borromæorum ampliſſima ſunt jura, magnaque auctoritas in totum fere Verbanum poſt annos amplius trecentos.

Satis quidem, & plus nimio videbor de Angle-

(1) Corius Hiſt. l. 4.

(2) Ripamontius de origine, & Pontific. Sancti Caroli p. 72.

gleria diſſeruiſſe: ſed hoc etiam poſtremo adjiciendum, ex maximo monumentorum numero, quæ Angleriæ erant, plura fuiſſe Mediolanum devecta cum latinis græciſque Inſcriptionibus, quæ prægrandibus marmoreis tabulis inſculptæ ſunt; devecta autem fuere, & in ſuis ædibus (1) collocata a Philippo Archinto duobus abhinc ſæculis, ornamento Domui, voluptati Dominis, admirationi advenis, quibus non ſint deſpicatui veſtigia perquam ſane inſignia ad Romanæ, Inſubriæque majeſtatis veteris memoriam, quæ etiamnum antiquam Angleriæ amplitudinem, decuſque teſtantur, ac ſpirant.

DIS-

(1) Gaudentius Merula Gall. Ciſalp. Antiq. l. 2. c. 15. p. 84.

DISSERTATIO VIII.

DE ALIQUOT OPPIDIS VERBANI LACUS IN PLAGA NOVARIENSI.

NOnnulla Verbano Lacui adjacentia Oppida, aut ſane proxima, & monumentis, aut titulo alio commemoratu digna in unum confero, ne Inſcriptionum volumen intercifis notationibus oneretur.

I. ARONA eſt oppidum omnium fere Verbanicorum caput e regione Angleriæ, muris, editaque Arce communitum: a tribus ſæculis eſt in Borromæorum ditione, & Comitatus prærogativam habet. *Alonam* vocat Alciatus fortaſſe ob Alæ ſtemma, quo oppidum utitur: Baſilicapetrus *Ronam* cenſet eſſe appellandam ductus (1) commento quodam Angeronæ Deæ, ex qua & huic, & oppido Angleriæ enata nomina ſuſpicatur. Commentum alio loco rejecimus, & refutavimus. Legitimum nomen Arona, idque paſſim in publicis privatiſque tabulis, atque in hiſtoriis legitur. Pleriq. tradunt a paucis ſæculis conditum; alii vero contendunt Oppidum nulli cæterorum Inſubriæ antiquitate concedere.

Qui

(1) Baſilicap. Nov. Sac. p. 80.

Qui novitatem accuſant, ſequuntur præter alios Baſilicapetrum (1). Hic Novariam Sacram typis dabat A. 1612., ibi: *Ne pagus quidem*, inquit, *fuit in loco ubi nunc Arona eſt, quantum perſpicitur, & legitur ante annos ſexcentos: ſed demum fundato ibi Monaſterio, Sanctorumque Corporibus allatis cœpit frequentari locus*.

Secus alii exiſtimant; namque SS. Gratiniani & Felini Corpora fuere Peruſia Aronam delata ab Adamo, ſive Amizone Comite, quod unum idemq. eſt nomen, anno ut minimum DCCCCLXXV., qua de re conſulendus Zaccaria, qui hæc diligenter perpendit (2); igitur jam decimo ſæculo Arona florebat. Præterea eodem ſæculo memoratur Arx Aronæ; id docemur inſtrumento ea ætate confecto (3), cui Giremundus quidam ſubſcripſit veluti teſtis in hæc verba: *Signum manibus Giremundi de Arce Aronna*. Erat igitur locus, quem communiendum veteres ſtatuerant. Et ſane cum hinc ex Verbano exitus, deſcenſuſque ſit in Ticinum flumen, veriſimile eſt ætate ſaltem Langobardorum contra Francorum irruptiones locum fuiſſe munitione defenſum, ita ut Angleria ſiniſtrorſum, dextrorſum Arona præcluderent Verbani fauces, ne inde ſecundo flumine Franci inopinato Papiam adveherentur.

Plus tamen nonnulli contendunt, & a primis Inſubriæ incolis, ſive ab Aboriginibus Aronam conditam volunt. Ducuntur ipſius nominis certiſſima anti-

(1) Nov. S. p. 75.
(2) De SS. MM. Fedele &c. Libri 2. &c. Milano 1750.
(3) Ibid. pag. 119.

antiquitate: & vero nomen Aronæ eſt Aſiaticum. *Aronum* & *Aronenſia Caſtra* (1) duo fuere oppida regionis Chanaan, ſeu Paleſtinæ: inſuper apud ſeptuaginta Interpretes legimus *Aroniim*, ubi in vulgata, Iſaiæ 15. eſt *Oroniim*. Hoc omnino conſtat alia non pauca locorum, fluminumque Inſubriæ nomina eſſe Aſiatica, ſive ad nos fuerint delata a primis incolis, qui poſt linguarum permixtionem ex Aſia in Europam, atque adeo in Italiam pervenerint, ſive ſucceſſu temporum ab aliis nationibus devecta hic conſederint. Hoc nituntur probabili argumento, qui Aronæ vetuſtatem tribuunt; antiquitatem autem Romanam vindicant teſtimonio Inſcriptionum. Unam Herculis affero, verbaque Alciati, ex cujus M. S. Monumentis (2) eam deduco. *E regione Angleriæ trans Verbanum oppidum eſt Alona cum egregie muris Arceque inſtructum, tum incolarum frequentia celeberrimum: ex eo has ad nos delatas Inſcriptiones hic congerere conſentaneum, & inſtituto operi non alienum viſum eſt. Earum prior hæc eſt Herculi ſacra his verbis:*

HERCULI
SUCCESSOR PRIMI
MUSCULI FIL.
V. S. L. M.

Itaque videtur Arona antiquitus extitiſſe; & recte Martinierius cenſet (3) Monaſterii, Sanctorumque

(1) Vide Ortelii Theſaur. Geogr.
(2) Alciati Monum. Mediol. 193.
(3) Martinier Gr. Dict. Art. *Arona*.

que Martyrum cauſa auctam plurimum, & illuſtratam fuiſſe poſtremis ſæculis. Plurima etiam oppido acceſſit celebritas, ex quo ibi in paterna Arce S. Carolus ortus eſt: Paternam dixi, nam veterem Galeatius Vicecomes diruit A. MCCCLVIII. Anno autem MCCCCL. Vitalianus Borromæus iterum extruxit. Neque illud eſt (1) prætereundum Federicum Borromæum S. Caroli Fr., Camerini Ducem, Uritanum Principem, Aronæ Angleriæque Comitem A. MDLX. curaſſe, ut Arona Epiſcopali ſede illuſtraretur, favente, & concedente Pio IV. S. Pontifice, & Cardinali Jo. Ant. Morono Epiſcopo Novarienſi, qui in hanc rem nonnullos ſuæ Diœceſis Pagos conferebat; ſed Pagi reſtiterunt, atque opus diſturbarunt. Poſtmodum S. Carolus Aronam Diœceſi Mediolanenſi adjecit, namque antea Oppidani id ſibi ſumpſerant, ut nullius vellent Diœceſis haberi.

Vetus Abbatia S. Carolo cum fuiſſet commendata, eam is (2) *illuſtri admodum Chriſtianæ Moderationis exemplo dimiſit, ac Patribus Societatis Jeſu tradi curavit... ii autem Collegium ibi conſtituerunt, in quo Religionis Novitii probarentur.. Manſerant autem Monachi in loco ad id tempus; licet ex monaſticæ diſciplina vix veſtigia quædam moribus, atque habitu retinerent.*

Duo etiam præclara monumenta Aronam exornant: alterum eſt templum in Colle Aronenſi extructum, & Coloſſus æneus S. Carolo ibidem poſitus, opus

(1) Cotta in Maccanei Chorograph. lac. Verb. n. 35.
(2) Baſilicapetrus Nov. Sac. p. 76.

opus mire elaboratum, altumque cubitos XXXVI., cœptum a Frid. Borromæo Card. & Archiep. Mediol., poſtremo tandem confectum A. 1696., & anno proximo erectum; ſubſecuto autem inauguratum a Frid. Caccia Card. Archiep. Med. Placet huc addere Inſcriptionem, quam in Baſi ponendam ipſemet Card. Frid. Borromæus S.Caroli Patruelis conſcripſerat.

D. CAROLO CARD. BORROM. ARCHIEP. MEDIOL.
ET PATRUELI SUO
OB GRANDEM IN PONTIFICATU ANIMAM
ET MAGNA IN ECCLESIAM MERITA
FEDERICUS BORROM. CARD. ET ARCHIEP. MEDIOL.
COLOSSEAM EFFIGIEM ÆREAM INAURATAM
CUBITOS XXXIII. ALTAM
IN HOC COLLE JUXTA AVITAS ARCES
ET JUXTA TANTÆ VIRTUTIS NATALE CUBICULUM
POSUIT.

Aronenſe Monumentum alterum eſt antiquus, magniq. pretii Codex Operis *De Imitatione Chriſti*, quod ab aliis Joanni Gerſoni, & Thomæ a Kempis tribuitur; ex hoc autem M. S. conſtat eſſe Joannis Gerſen Abbatis Vercellenſis, cui jampridem poſt Bellarminum opus vindicarunt Monachi S. Mauri libro Pariſiis edito A. 1674. Unum ex exemplis hujus operis aſſervatum in Monaſterio Bobienſi, ipſum etiam præfert auctorem hunc Joannem Gerſenium. Aronenſem Codicem recognovit Mabillonius, & *in eo*, inquit, (1) *omnia deprehendimus, quæ de ejus antiquitate, & inſcriptione, quinquies ſub nomine* Johannis

(1) Mabill. Muſæum Italic. p. 18. 20.

hannis Gerſen Abbatis, *repetita noſtri obſervaverunt*. Codex eſt apud Patres Societatis Jeſu eo delatus a Patre Roſſignolio, cum Societati nomen daturus eſſet, id eſt anno MDLXXIX.

II. Non longe ab Arona eſt FONTANETUM Oppidum (*Fontanetto*) exploratæ antiquitatis. Guido Mediolani Archiepiſcopus hic loci A. 1058. magno numero Epiſcoporum & Præsbyterorum Synodum habuit, uti Calchus refert. Vetus ibi erat Monaſterium, quod Aronenſi poſtea adjunctum fuit. Philippum M. Vicecomitem Ducem Mediolani tradunt Arcem exſtruxiſſe, ubi Monaſterium erat, Eccleſiam tamen retinuiſſe SS. Fabiano & Sebaſtiano dicatam. Referente Baſilica petro ejus marmora (1) partim antiquæ artis elegantiam teſtantur, partim Romanas Inſcriptiones habent, quas tametſi Gallaratus vulgarit (2), placet tamen huc ex Alciati M S. Codice referre.

T. ACCELLIO. CLA
INGENVI. F. PATRI
ET. CAPRONIAE
CICERONIS. F. VERAE
MATRI. OPTIMAE. ET
T. ACCELLIO. T. F. CLAVD.
IVLIO. FRATRI. VI VIRO
ET. STATVTIAE. L. FIL
VALENTINAE. VXOR. IVLI. ET
T. ACCELLIO. T. F. CLAVD

VE-

(1) Baſil. Nov. Sacr. p. 109.
(2) Paul. Gallar. Ant. Novar. Mon. n. 23. & ſeqq.

VERO. DEÇVRION. ET
ACCELLIAE. T. F. JULIAE
FILIS. EORVM
T. ACCELLIVS. VERINVS
FACIENDVM. CVRAVIT

Ex hac Inſcriptione Accelliorum Baſilicapetrus (1) indicium capit nominis Vici *Celii*, qui valli Ugiæ imminet, & hinc non magno diſtat itinere.

D M
TERENTIORVM
GALLIANI ET
SATVRNINI
FILIORVM
MESSIMORVM
Q TERENTIVS
TROPHIMVS SEX
VIR ET AVGVSTALIS
PATER OPTIMVS FECIT
ET. SIBI. ET. BITTONIAE
MESSI. FIL. PRIMILLAE
UXORI. OPTIM. ET. SVIS
V. F

Obſervat Alciatus hoc Terentiorum Familiæ Monumentum pulcherrimo Stylobati eſſe conſignatum, adjectis utrimque Vaſculis, quo elegantior lepidiorque eſſet memoria. Ibid. etiam ſequens

P MAGIVS MESSOR

Al-

(1) Alciatus n. 194. & ſeqq. Novar. Sacr. ibid.

Alciatus ex Inſcriptione, quam ſubnectimus ſuſpicatur Agellum potuiſſe eſſe antiquitus Angleriæ nomen. Suſpicio mera; quando Angleriæ nomen ſcimus vix poſt milleſimum eſſe natum. Inſcriptio ſic habet.

M. VARIO M F
BIBVLO
IIIIVIR. I D
AGELLI T. F. I

Ex ſemiroſa ſequenti Inſcriptione idem ducit conjecturam Alpinum militem ſpeculatoremque, cui fuit poſita, eſſe ex Marianis, qui contra Cymbros pugnarunt: huc enim uſque ſuſpicatur prælium illud explicuiſſe ſeſe; namque ab Candio Fontanetum uſque patentiſſimus eſt campus. Videtur levis, immo nullius momenti conjectura: neque enim id ſolum prælium in Inſubribus fuit; & potuit ubique locorum militare Alpinus hic miles. En Inſcriptionem.

NVS ALPINVS MILES COH
VIIIIVIR SPECVLATOR MILITAVIT ANN XVI
SIBI ET
CASSIAE CALLITYCHE ANTIPATRI. F. MATRI SVAE
T. F. I. EX HS. V.

Hæc poſtremo etiam Gemetii Inſcriptio Mercurio dicata legitur non integra. Eam Alciatus præterit, refert tamen Gallaratus cum reliquis Fontaneti:

MERCVRIO
LVCRORVM POTENTI

ET.

ET. CONSERVATOR. SACR
C. GEMETINVS. C. FIL
QVI. VALERIANVS
IIII VIR. A. P. PRAR. F. I. D
C. [illegible] GEMET
VALERIANVS. SECUN [illegible]
VALERIA. SIRI [illegible] IS
EX. VOTO. DONVM
POSVIT. ET. DICAVIT
L. D. D. D

III. SUNA Oppidum Verbanicum protulit Julium Pogianum latina lingua excellentem, cujus opera voluminibus quatuor maximo ſtudio & eruditione a Hieronymo Lagomarſino illuſtrata ante biennium accepimus. Non minus tamen Suna antiquitate præſtat, uti alibi dicemus, ubi eam ab Umbris regionum noſtrarum aboriginibus conditam fuiſſe innuemus. Aliquot ibi Inſcriptiones ſunt Chriſtianæ antiquæ: Romanas nos damus (1)

M. COMINIVS
IVSTINVS
VALERIANI. F
SIBI. ET. SVCESSE
PASTORINE
TERTI. FIL
COIVGISACTISIINE
BENEMERENT

C.

(1) Paul. Gallaratus Inſcr. 30., & ſeqq.

C. MOGE ✝ VS
GAETVLICVS
IIIIII. VIR
MERCVRIO
V. S

MATRONIS
ET DIS DEABVS
T. MATVS IVS ✝ N
PRO SE SVISQVE
V S L M

T. VIBIVS. T. L
OPTATVS
M. V. S. L. M
LIBERTATIS. CAVSSA

Hæ tres poſtremæ viſebantur in Templo S. Geneſii Martyris Arelatenſis, cujus corpus habet Suna (1).

IV. Succedit PALANTIUM aut PALANTIA oppidum. Nonnulli Polentiam dixere, uti Alciatus, Volaterranus &c. Errarunt ob nominis ſimilitudinem. Polentiam memoratam a Plinio, Silio, aliiſque, Ptolomæus in Liguria ſtatuit, ſcilicet trans Padum, quæ pleraque regio cenſebatur in Liguria: Ptolomæo conſentit Tabula itineraria.

AQUIS

---

(1) Baſilicap. Nov. Sac. p. 111.

AQUIS TATELIS i. e. Statielis
ALBA POMPEJA X.
POLENTIA ....
AUGUSTA TAURINORUM XXXV.

Etiam a Claudiano nominatur ubi de Bello Gothico, qui effronti adulatione victoriam veluti prædicat Stiliconis cladem, quam Caſſiodorus, Oroſius, Jornandes narrant: ſed Poetis auro inhiantibus fide? Claudianus tamen triumphum canit:

Ligurum regione ſuprema
Pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem;
Atque illic domitus, vix tandem interprete caſu
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Necnon & Stilico pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu &c.

Urbs fluvius nomen adhuc vetus habet paulum corrupto vocabulo *Orba:* pergit porro

O celebranda mihi cunctis Polentia ſæclis,
O meritum nomen, felicibus apta triumphis!

In Panegirico autem de VI. Conſulatu Honorii

Tu quoque non parvam Gothico Verona triumpho
Adjungis cumulum: nec plus Polentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ &c.

Erat igitur Polentia trans Padum, ubi Urbs fl., Aſta, Alba Pompeja: ejus ſuperſunt rudera inter Tanarum fluvium & Braydam (*Bra*) oppidum.

Palantia autem, ſeu Palantium, eſt in plaga Novarienſi Verbani M. P. XII. ab Arona. Antiquitas

quitas, & Romanæ ætatis monumenta auctoritatem oppido pariunt. Non defuere, qui olim urbem fuiſſe contenderent illuſtrem, & præclaram, eamque conditam ab Trojano quodam (1): hæc recidit opinio in Angli Trojani Angleriæ conditoris fabulam. Baſilicapetrus conjicit exordia (2), nomenque ſortitam ab Palante Claudii Cæſaris liberto: favet conjecturæ monumentum ibi poſitum a Narciſo altero Claudii Liberto, & Collega Palantis in adminiſtrando Imperio.

MATRONIS. SACRVM
PRO. SALVTE. CAESARIS
AVGVSTI. GERMANICI
NARCISSVS. C. CAESARIS (3).

Tacitus, & Suetonius utrumque Libertum fuſe tradunt rerum ſummam gubernaſſe ſub Claudio: prior autem cum memoret Amaſiam Narciſſi Calpurniam, non abs re eſt exiſtimare CALPURNINUM Pagum (*Calpurgnino*) non inde diſſitum, habuiſſe Narciſſum auctorem. Allata Inſcriptio facit, ut ſuſpicer Narciſſum hinc originem duxiſſe. Quid enim Libertus Romæ degens, & Claudii favore in tantum auctus Palantiam cogitaret uſque adeo remotam ab Urbe? quidque ibi monumentum, & magnitudinis ſuæ, & grati erga Claudium animi teſtem ſtatueret? Eſſe igitur debuit aliquid, cur Palantiam potiſſimum adamaret.

Pa-

(1) Vallianus *Le Delizie del Verbano* c. 13.
(2) A Baſilicapetri Novaria Sacra p. 156.
(3) Paul. Gallaratus in Monum. Novarienſibus Inſcr. 44.

Palantiam tamen aut ab Palante, aut in Palantis Liberti gratiam fuiſſe conditam non puto, tametſi fortaſſe oppidum potuerit amplificari, & celebritate nominis augeri ejus cauſa. Multo antiquius fuiſſe exiſtimo, & a primis Inſubriæ Incolis conditum. Hujuſce nominis loca pluries occurrunt (1) ubique in Europa, ſed in Germania præcipue. Vocabulum videtur Celticum: certe priſci Germani *Palanz* vocabant oppida, locaq., ubi natio conveniebat ad res publicas, negotiaq. peragenda. Non eſt prætermittendum plura loca circa Verbanum, in ejuſque finibus, & circa Lacum Velinum regioneſque, quas Umbri antiquitus habuerunt, ſimilia omnino nomina habuiſſe, cujuſmodi ſunt *Palantium*, *Suna*, *Hiſpellum &c.* Sed hæc attingemus ubi de Inſubrum Origine diſputabimus (2). Plura enim alia Umbricarum regionum nomina in lata Inſubria paſſim deprehendimus.

Palantiam certe plurimum olim floruiſſe, argumento ſunt Inſcriptiones & monumenta, aliqua ex pluribus, quæ negligentia majorum interiere. Has Gallaratus (3) nobis, & ante Gallaratum Alciatus in Monumentis Mediolanenſium M. S. protulit.

NATIS
SIIVIIRI KI
PARA VALERIA
NA
V S L M

Con-

(1) Cluverius Germ. Ant. l. 3. c. 36.
(2) Differt. 1. de orig. Inſubr.
(3) Paul. Gallar. Inſcr. 45. 46. 47. Alciat. 232. 233. 234.

Confirmat hæc Inſcriptio, quod aliæ etiam produnt, olim ſcilicet ſecundam vocalem etiam per I. duplicem fuiſſe expreſſam, & conſonam L divaricato crure exhibitam.

Singulare tamen eſt monumentum Paſtori, aut certe Ruſtico poſitum, cui inſculpta Hirci effigies, atque in hæc nomina inſcriptio

V *hircus* F
BECCO MOCC
ONIS F SIBI ET VTI
LIAE VECATI F VX
ORI ET FRONTO
NI F ET CRCCAE
LIVONIS F VXO
RI ET MASCIO F
ET PRIMAE OC
TAVI F VXORI ET
SEXTO F

Alciatus (1) legit *Vecco*, & cenſet ruſtici Patrisfamilias tumulum marmorea menſa honeſtatum fuiſſe Hirco appoſito, ex quo illum traxiſſe barbarum inauditumque nomen arbitratur: *tametſi*, inquit, *me non lateat becco pro Gallinacei roſtro Gallos veteres uſos, cujus rei auctor eſt Tranquillus; ut appareat linguam gallicam, licet partim in Romanum, partim in Germanicum ſermonem tranſierit, apud nos tamen omnino non exoleviſſe*. Palantiæ adjacet parvula Inſula S. Angeli appellatur. Arca inibi reperta, atque illi hæc inſcripta:

D M

(1) Alciat. ad Monum. 233.

D M
SEVERI ROMANI
VIBIVS VIBIANVS
OMNI V F P

Alciatus legit VI. P. (1).

V. Ab Oppido Palantia M. P. eſt INTRATIUM (*Intra*) [2]: hic Marii Inſcriptio fuit, ejus res geſtas memorans, inſculpta Arcæ funereæ, ut fama traditum. Inſcriptionis nunc ne veſtigium quidem; neque mirum, debuit enim cum aliis monumentis interiiſſe, cum Idololatrarum pervetus Templum miro opere elaboratum, & diligentiſſime conſervatum ad noſtram uſque ætatem, circa hujus ſæculi initium dirutum inconſulte fuit, & penitus disjectum, ut locus, maceriaque Canonicalibus, aliiſque ædibus eſſet. De Mario quid prædicaretur, ignoramus, ſed videtur magnifica commemoratio fuiſſe ejus præclare factorum. Hæc divinatio deducitur ex nonnullis voculis, quæ habentur in Inſcriptione, quam Laz. Cotta, & Vaglianus referunt ex Morigia, viro optimæ ingenuæq. animæ, qui falli quidem potuit, ſed voluntate nimis multum a fallendo aut fingendo abhorrebat, ut ejus bene multa declarant volumina. Homo perquam ſane harum rerum innocens, Inſcriptionem, fœde proculdubio ab ſe corruptam & emendatam, tradidit in hunc modum: pudet ſubjicere, do tamen, dummodo Lector Morigiæ ignoſcat.

C.

(1) Alciat. Mon. 235. (2) Cotta Muſæum Novarienſe ſub fin. Vaglianus lib. cit. ubi de oppido Intro.

C. MARIUS CONSUL ROMANUS
HUMILI LOCO NATUS
VII. CONSUL FACTUS EST
IN CAMPO SAVIDICO (*) VICIT CIMBRIOS
APUD AQUAS SEXTIAS [illegible]

[illegible]

[illegible]

Melius conſuluiſſet vir bonus, ſi quæ rite poterant legi, excepiſſet; ſed ille ridicule ſupplevit. Incredibile videbitur facile unicuique C. Marii oſſa hic locorum tumulum, & inſcriptionem habuiſſe, præſertim cum ſciamus ex Tullio ejus reliquias apud Anienem ſitas juſſu Syllæ (1) fuiſſe disjectas. Attamen ſi ſuſpicioni, quæ apud nonnullos invaluit, aliquid concedendum, ita videtur quæſtio poſſe expediri. Mario vita functo cum jam L. Corn. Sylla cum exercitu ad urbem eſſet, internecino odio in Marianam factionem fervens, cædeſque acerbiſſimæ imminerent, Mariani refugerunt alii aliò. Tum non eſt inveriſimile, cum mandatum Syllæ vulgatum fuiſſet, aut Marii reliquias ſubductas, aut poſtquam diſſipatæ ſunt, conquiſitas, comportataſque fuiſſe in remotas regiones ab aliquo factionis Marianæ, atque huc evaſiſſe: hæc enim præ reliquis regio amica erat C. Mario ob ſubmotos, cæſoſque Cymbros: præ-

(*) Fortaſſe *Candio*.

(1) C. *Marii ſitas reliquias apud Anienem diſſipari juſſit Sylla acerbiore odio incitatus, quam ſi tam ſapiens fuiſſet, quam fuit felix: quod haud ſcio, an timens ſuo corpori poſſe accidere, primus e patriciis Corneliis voluit cremari*. Cic. de Leg. 2. p. 175. Ven. Manut. 1555.

præterea Incolæ Vallium & Montium, qui Verbano adjacent, nondum omnino parebant Romano imperio. Vix enim ſub Auguſto Breuni, Meſauci, Lepontii huc pertinentes domiti ſunt, uti docet Alpinum Auguſti Trophæum. Itaque Mariani & tuto poterant in hiſce locis conquieſcere, & nobile monumentum Mario conſtituere cum inſcriptione, quæ fuſius res geſtas ejus prædicaret, memoriamque tanti viri furori Syllano ſubductam futuris ætatibus traderet.

VI. E regione Palantiæ INSULÆ ſunt geminæ BORROMÆÆ appellatæ. Prior a S. Angelo appellatur, vulgo jam *Inſula bella:* altera a S. Victore, quæ *Inſula Matris* nacta eſt nomen, eaque illuſtris eſt S. Arialdi Alciati Martyrio, ut alio loco diximus. Utraque a tribus, eòque amplius ſæculis eſt in ditione Borromæorum, qui permagnis ſumptibus, regioque propemodum cultu ædes, hortoſq. extruxerunt, quorum eſt admiratio & fama in omni Europa. Multi de his multa ſcripſere, hic placet inſcriptionem, quæ in Inſula bella legitur, dare, quam confecit Carolus M. Maddius latinæ græcæque Eloquentiæ Profeſſor in Palatinis Scholis Mediolani, auctorque excellens Comœdiarum, quæ Mediolanenſium linguæ, qua ſcriptæ ſunt, celebritatem nobilitatemque conciliant.

VITALIANUS COMES BORROMÆUS
EX CONS. SECRETO M. CATHOLICÆ
REI TORMENTARIÆ PRÆFECTUS GENERALIS
PROCURATOR GENERALIS CÆSARIS IN ITALIA
INFORMIBUS SCOPULIS SUBSTRUENS ET EXTRUENS

DI-

DIGNITATEM OTIIS MAJESTATEMQUE DELICIIS COMPARABAT A. MDCLXXI.

VII. Milliaribus fere ſex interjectis, Verbano adhæret LACUS S. JULII, parvulaque in medio ſita eſt Inſula, quam S. Julius prodigio purgavit, infeſtis ſerpentibus, qui totam ſoli inſederant, in Lacum abire æternum juſſis, ut ejus acta referunt. Temploque inibi Theodoſii Magni ætate extructo quietem habuit cum S. Juliano fratre. Ex illo magna religione colitur ab omnibus Verbani Alpium, Valliumq. & Agri Novarienſis Incolis: quamobrem ad Julianum Templum, ſtatis diebus quotannis, ſolemnibus ſupplicationibus Oppida, & Pagi eunt ſolutum Majorum, ſuaq. vota.

Lacui olim Cuſio (1) nomen fuit; poſtmodum appellari cœpit *Lacus Hortæ, ſive mavis D. Julii*, ut tradit Maccaneus (2), qui tamen monet recentius ab Horta nominari. *Illabitur* (3) *prætera fluvius quidam* [Strona] *S. Julii dictus, quòd ex lacu ejuſdem nominis oritur, apud quem eſt Templum Divo Julio dicatum, hodie quoque miraculis ſcatens, quem Hortæ lacum juniores nominant*. A S. Julio nominant diplomata Othonis I., Henrici I., Conradi II., Henrici III. (4)

Langobardorum ætatæ Inſula ſuum habuit Ducem: Paulus enim Diaconus (5): *His diebus*, ait, *Agi-*

(1) Laz. Cotta in Maccanei Corogr. n. 119. (2) Maccaneus ibid. (3) Idem num. 82. (4) Apud A Baſilicapetri Novar. Sac. p. 176. 329. V. etiam Cottam lib. cit. n. 82. (5) Paul. Diac. Langob. l. 4. c. 3. V. etiam Sigonium Regn. Ital. A. 590. 591.

Agilulphus Rex occidit Minulphum Ducem de Inſula S. Julii, eo quod ſe ſuperiori tempore Francorum Ducibus tradidiſſet. Sub alterius ſæculi finem, ut alibi commeroravi, effoſſum eſt in Inſula cadaver Arcæ incluſum, cui deerat caput; Arcæ erat inſcriptum *MEINUL....*

Berengarius II. A. 956. hic ſe defendit contra Litulphum Othonis I. Fil., & deditione facta iterum Regno donatus eſt ejus clementia Principis. Brevi tamen Litulpho ſublato cum ad arma rediiſſet, eum Otho apud Papiam fudit, & Inſulam ab Uxore Berengarii Willa [Calchus *Viullam* vocat] fortiſſime defenſam expugnavit. Sæculo XVI. Baſilicapetro teſtante (1) amplæ reliquiæ ſupererant murorum, quibus Willa omnem Inſulæ ambitum communiverat, & vocabantur *Muri Reginæ*. Receptam Otho Novarienſi Eccleſiæ reſtituit, cui Berengarius eam eripuerat, ut hæc Othonis (2) verba declarant: *ideo quod nobis miſericorditer victoriam tribuens, quoddam caſtrum, videlicet Inſulam S. Julii, jamdudum per Berengarium Regem ab Epiſcopatu Novarienſi ſublatam, & ſibi uſurpatam, nec non* contra nos *in rebellionem poſitam, noſtræ ſubdidit poteſtati* (3): Baſilicapetrus & Bollandus exiſtimant Inſulam Novarienſi Eccleſiæ primitus datam a Carolo Magno poſt deletum Regnum Langobardorum, namque hujuſcemodi ejus donationum multa ſunt exempla. Ex illo Inſula, Lacus, Ripaque circumjacens oppidis frequens, quæ Principatum efficiunt, ad hanc uſque diem uni parent Novarienſi Epiſcopo.

DIS-

(1) Nov. Sac. p. 175. (2) Id. ibid. p. 176. (3) Nov. Sac. p. 279. Bollandus Januarii t. 20. V. S. Julii ad 31. Jan. n. 2.

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

DE ORIGINE OROBIORUM

Orobiorum fines, gentis nominiſque originem, antiquitatem, quæque in tractu Mediolanenſi eorum ſuperſunt veſtigia, perſequor: pleraque obſcura: illuſtranda tamen quoad licet; atque hic labos conferet plurimum ad retegendam deinde etiam Inſubrum originem. Hæc igitur ſequar: I. Orobiorum ſedes, & fines. II. An Populi eſſent Græcanici. III. An ex Galliis profecti cum Belloveſo. IV. Fuere Aborigines: priſcum eorum nomen veriſimilius fuit *Bergomiſci*. V. Orobii ſunt Celtæ, neque tamen ex Gallia Celtica. VI. Quam late paterent Celtæ in omni Europa. VII. Cur nonnulli ex illis Gallorum nomen retulerint. VIII. Linguæ Celticæ mira propagatio: uti etiam in Italiam defluxit. IX. Oppida Celticæ originis & alibi in Europa, & in Orobiis atque Inſubribus.

Quando autem hæc, & geminæ quæ ſequuntur Diſſertationes de Inſubribus paulo operoſiores ſunt, ne creetur Lectoribus moleſtia, eas conciſe partiar: ſit igitur

§. I.

Orobiorum ſedes, & fines

Unus hanc gentem memorat Plinius (1) ex Catonis monumentis: *Orobiorum ſtirpis eſſe Comum,*

(1) Plin. l. 3. c. 17.

mum, *atque Bergomum*, *& Licini forum*, *& aliquot circa populos auctor eſt. Cato; ſed originem gentis ignorare ſe fatetur*, *quam docet Cornelius Alexander ortam a Græcia*, *interpretatione etiam nominis*, *vitam in montibus degentibus*. *In hoc ſitu interiit Barra; unde Bergomates Cato dixit ortos*, *etiamnum prodente altius*, *quam fortunatius ſitos*. Cur ignoti cæteris Scriptoribus Orobii dicam ſub finem; nunc miror, Cluverium (1) Plinii poſtrema verba emendaſſe ſic: *unde Bergomates Cato dixit ortos etiam nomine prodente eſſe altius quam fortunatius ſitos*: non erat neceſſe in allatam lectionem adhibere correctionem; Plinii, & fortaſſe etiam Catonis ætate jam interjerat Barra Oppidum, quod erat edito admodum loco ſitum; ejus ruinæ, ut nobis adhuc alicubi viſendæ occurrunt in ſeptemtrionali plaga Inſubriæ, ubi Mons eſt Barræ, (*Monte Barra*, vulgo *Monbar*) multo magis horum Auctorum ætate conſpiciebantur, & declarabant ipſo *ſitu prodente Bergomates* inde *ortos* fuiſſe in oppido *Barra altius*, *quam fortunatius ſitos*. Conſtructionem paulum impeditam ſi Cluverius exſolviſſet, non emendaſſet.

Orobii habuere conterminos ab occaſu apud Verbanum Lacum Lepontios, eoſdem a Septemtrionibus, ab Oriente Euganeos, vel Cænomanos, a Meridie Inſubres. Itaque colles eos incoluerunt, qui ſub alpibus ſeptemtrionem verſus præcingunt Inſubriam, excurruntque a Verbano lacu ad Abduam fluvium: quamquam hinc videntur Orobiorum fines ulterius ſe ſe explicaſſe in Cænomanos; vere, an ſecus patebit inferius.

§. II.

(1) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 25.

§. II.

An populi eſſent Graecanici.

AT enim unde iſthuc advenere? Si Corn. Alexandro, cujus nititur auctoritate Plinius, habenda fides, ſique Græcæ origini pluſculum ſtudere volumus, hæc conjectando afferemus. Orobiorum nomen ab græcis vocibus *oros*, ideſt mons, & *Bios*, quod vitam ſignificat, videtur deductum, quaſi indicet *vitam in montibus degentes*: igitur haberi hæc poſſet Colonia Græcorum. Accedit, quod plures urbes Oropi, Oropiique nomine fuerunt in Bœotia, Macedonia, Eubæa (1). Oropios, vero & Orobios idem eſſe nemo dubitet, præſertim cum liber Myrſilio Lesbio attributus, *Oropitas* vocet initio *Orobios*. Familiare enim fuit Græcis ejuſcemodi nomine donare montanos incolas: hinc Strabo (2) ubi affert eorum ſententiam, qui putant ab Ellopejenſibus conditas fuiſſe Hiſtiæeam, Periadem, Cerintum, Aedeapſum, & Orobias, ait Ellopienſes, poſtquam traſmigrarunt Hiſtiæeam, dictos fuiſſe *Oreitas*, Hiſtiæeam autem nominatam *Oreus*; hanc vero affert cauſam: *fortaſſis Ellopienſes*, *accolæ cum eſſent montani*, *hoc nomen Oreo fecerunt*, *cum Oros mons ſit*.

Cum igitur & nomen, & cauſa appellationis conſentiant tum in Orobiis Græciæ, tum in Orobiis Inſubriæ, quid ni liceat Cornelio Alexandro ma-

(1) V. Ortelii Theſaurum, alioſque Lexicographos.
(2) Strabo l. 10. init.

manus dare, Græcoſque hoſce etiam noſtros exiſtimare? Qui Thebani Herculis adventum in Italiam tuentur, contendent hos Orobios ex ejus comitatu fuiſſe, atque hic ſubſtitiſſe, quemadmodum ſubſtitere Lepontii, teſte Plinio, qui ejus erant comites, quando Oropus oppidum non multum abeſſet ab Herculis Patria? ut non mirum ſit ejus prope conterraneos ſecutos fuiſſe Alcmenæ filium cum magna hominum multitudine euntem in exteras nationes, peragranteinque terras latiſſime. Hæc pro Græca origine. Contra tamen; etenim ante Græcorum in Italiam adventum & ulterior, & citerior Italia habitabatur, ſuoſque habebat Incolas Inſubria (1). Orobiorum autem nomen etſi græcam habeat originem, non perinde tamen dicendi ſunt originem græcam populi habuiſſe, qui id nomen retulere. Potuit enim ab Græcis coloniis huc progreſſis poſtmodum iis tribui, ut accolas montanos ſignificarent: Alcidis vero adventus fabulam jam disjeci.

§. III.

An ex Galliis profecti cum Belloveſo.

ITaque aliis aliter videtur, & putant Orobios ex Galliis huc profectos cum illa Gallicarum gentium eluvione, quæ Tarquinio Priſco regnante effudit ſe in Italiam. His Juſtinus (2) favet: *Gallis cauſa in Italiam veniendi inteſtina diſcordia, & aſſiduæ*

(1) V. Differt. 10. & 11. de Orig. Inſubr.
(2) Juſtinus l. 20.

duæ Domi diſſenſiones fuere: quarum tædio cum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Igitur unius, ejuſdemque generis multitudo fuit, quæ Cænomanos, quorum erat *Brixia &c.* Euganeos, quorum erat *Verona &c.*, & Orobios, quorum erat *Comum* protulit: quamobrem hi, etiam Gallici videntur generis ab iis prognati, qui Belloveſo, & deinde Elitovio ducente ſuperatis Alpibus cuncta, Alpes inter & Padum, habuerunt, uti Polybius, Livius, Strabo, Plutarchus tradunt.

At ſi Gallicum erant genus Orobii, quæro quid nomen habuerint græcæ plane originis? Præterea teſtante Livio [1] Galli a noſtratibus teneri jam haſce regiones invenere; igitur veriſimilius ſui etiam erant jam incolæ Orobiorum collibus, cum illi ſupervenerunt.

§. IV.

Fuere Aborigines: priſcum eorum nomen veriſimilius fuit Bergomiſci.

GEographi [2] Orobios in Indigenis ſtatuunt, & Quadrius [3] contendit Aboriginum, Opicorum, Euganeorum, Orobiorum nomina eodem pertinere, ut ſignificent Indigenas, aut ejus terræ filios, quam primi omnium ſortiti ſunt. Sed ingenio

(1) T. Liv. l. 5.
(2) V. Briet. Parall. Geogr. T. 3. p. 515.
(3) Fr. Xav. Quadrius Diſſ. 1. de Valle Tellina.

nio & ſtudio plus nimio tribuit, ut communem hanc etymologiam ſtatuat; & de Euganeis & Orobiis perſuadebit nunquam, quorum græca ſunt nomina dubio procul, & multo ſerius uſurpata; nam ſerius Græci, & vix fortaſſe primum in citeriorem Italiam pervenere cum Tyrrhenis. Quis autem Euganeos, & Orobios ad eam uſque diem ſuo proprio, certoque nomine caruiſſe cenſeat? Non igitur ex græcis, quæ poſtea, ſed ex priſcis patriiſque nominibus, quæ prius habuerunt, tentanda erat illorum origo. Quo cæteri nativo vocabulo uterentur, non vacat hoc loco divinare; Orobiorum tamen, quod priſcum eſſet nomen, videtur poſſe ſtatui.

Bergomates ex oppido Orobiorum Barra ortos dicit Cato, ut vidimus: in hac Catonis ſententia nonnulla ſe offerunt intellectu difficilia. Primum, quomodo Orobiorum fines trans Abduam procurrerent? ſcimus enim antiquos populos plerumque circumſcripſiſſe ſe fluminibus interpoſitis: cum autem Orobii haberent colles procurrentes inter Verbanum & Ticinum ab occaſu, inter Larium & Abduam ab ortu ſolis, quid in hanc tranſabduanam fimbriam ſe explicaret? Quid quod Tranſabduanus ille tractus pertinebat ad Cænomanos, & Cænomanis propterea Bergomum tribuitur a Ptolomæo? Denique quid Orobii Celticum hoc vocabulum *Bergomum* procuderent? eſt enim omnium judicio Celticum. Evolvo omnia.

Orobiorum patrium nomen erat ſimile quid *Bergomatibus*, aut potius *Bergomiſcis*. Temere videbor pronunciare nonnullis, ſed non fortaſſe diligentius rem perpendentibus, quam ante me Cluverius

rius attigit [1]. Bergomum vox eſt mere Celtica, quam illi proferebant more ſuo *Berghom*, & *Berg-ham:* ſignificabat autem *Domicilium in Montibus*. *Bergh* enim Germanis, apud quos invaluit, & manſit pleraque lingua Celtica dialectis, noviſque vocibus vitiata, *Bergh*, inquam, eſt idem ac Græcis *Oros*, *mons: Home* vero Anglis veteris Germanicæ, ſeu Celticæ potius originis genti, aliiſque eſt *domicilium;* reliqui Germani variantibus dialectis *haim*, *heim*, *heem* dixere. Synonimæ igitur voces ſunt *Bergomates* & *Orobii*, idemq. utræque ſignificant. Quamobrem Græcorum coloniæ huc adventantes cum ejuſcemodi populorum vocem ſynonimam haberent in ſua lingua, *Orobios* dixere, quos ſua Celtæ debuere dicere *Berghomiſchon*; ita enim populorum explebant nomina, uti *Tauriſchon*, *Schordiſchon*, unde enati latine *Tauriſci*, *Schordiſci &c.* [2].

Cum itaque Barra deficeret brevi interitura, quaqua demum de cauſa, Cives inde alio migrarunt, atque eorum aut omnis multitudo, aut colonia tranſgreſſa in Cænomanorum fines, eminenti in colle novam ſibi Patriam conſtituit Barræ æmulam ratione etiam loci. Bergomum enim edito eſt loco ſitum æque, ac fuerat Barra Urbs, ab qua non multum abeſt, eamque ex monte, cui inſidet ſpectat. Incolæ tamen priſcum gentis ſuæ nomen retinuerunt, uti aliæ coloniæ alibi conſueverunt. Ita denique intelligimus, quomodo Orobiorum fines eò uſque cenſerentur procurrere, & Cænomanis nihilo-

ſecius

(1) Cluverius Germ. Ant. l. 1. c. 7. ſub finem, & Ital. Ant. l. 1. c. 25.
(2) Id. Germ. l. 1. c. 6. p. 56.

ſecius Bergomum adſcriberetur; utque Celticum vocabulum ab Orobiis huc transferretur. Bergomates, acria, factaque ad omne genus ſcientiarum ingenia, non dubito, quin hæc inveſtigaturi ſint altius.

§. V.

Orobii ſunt Celtæ, neque tamen ex Gallia Celtica.

EX Celtis igitur Orobiorum tu originem duces? ita, inquam, ex Celtis. At Anacroniſmo laborat opinio? Non hæc mihi Sapientes objicient. Non me latet Gallos etiam, de quibus antea dixi, Celtarum nomen habuiſſe, iiſque has regiones late patuiſſe, poſtquam unam cum Inſubribus gentem conflarunt, quare poſtea appellati ſunt Galli Inſubres. Nemini tamen puto jam non eſſe compertum ab hiſce Gallis non extitiſſe aut originem, aut priſcum nomen Orobiorum. Vetuſto ſucceſſerat novum gentis vocabulum confectum a Græcis, qui a bene multis ante Tarquinianam ætatibus aut in colonias diſtincti, aut commixti cum ulterioris Italiæ populis, diffudere ſe ſe in Italiam citeriorem. Nego igitur Celtas, qui ad nos pervenere ab Galliis eſſe petendos: ſentio aperiendam eſſe paulo diligentius notitiam Celtarum, atque hoc libentius, quod plurimum faciet ad alteram diſputationem, quæ erit de origine Inſubrum.

* * * * *
* * * *

§. VI.

§. VI.

Quam latè paterent Celtæ in omni Europa.

ANtiqui Scriptores *Celtarum*, & *Celticæ* nomen populis, & Regionibus Europæ ita multis tribuerunt, ut plerique exiſtiment commune id nomen totiùs Europæ fuiſſe, & Ortelius antiquæ Europæ tabulam non dubitarit inſcribere *Europam, ſive Celticam veterem ſic deſcribere conabor Abrahamus Ortelius:* nititur autem Ptolomæi auctoritate, qui confirmat nullam eſſe Europæ partem, ubi Celtæ non reperiantur.

Et vero Herodotus eos trans columnas collocat, Strabo apud Bœtim; Dio, Plinius, aliique, paſſim ubique in Hiſpaniis; nemo autem Celtiberiam ignorat. In Gallia Celticæ nomen ſubſtitit, idque tertia ejus pars diutiſſime retinuit: ex Galliis autem putant nonnulli Celtas primitus tranſgreſſos in Britanniam; illuc enim perveniſſe certiſſima ſunt documenta, & Pomp. Mela Celticæ donat appellatione Inſulas Caſſiterides, quæ ſunt Britannicæ. Juxta Dionem Celtæ obtinebant etiam utramq. Rheni ripam; juxta Arianum erant ad Iſtrum; juxta Strabonem etiam ad Boryſthenem, & in Maeſia, ibiq. permiſcuere ſe ſe cum Illyricis, & Thracibus. Idem affirmat ſua ætate omnes nationes ad Europæ Septentriones ſitas, uno Celtarum nomine generatim appellatas fuiſſe. Plutarchus initium Celticæ conſtituit ad mare exterius, ſive Atlanticum; atque illinc Celticam deducit Septentrionem verſus uſque

ad

ad Paludem Mæotidem. Idem alibi aſſerit Galatas, quos deſcendiſſe ait ex Celtis, fuiſſe ad Oceanum Septentrionalem: Appianus eos memorat in Gallia citeriore; idem cum Strabone ad Jonium mare, ſive ad Adriaticum, Silius Italicus ad Padum conſtituit. Parco Scriptorum afferre ſententias, aut plura enumerare: in hanc rem bene multa Cluverius congeſſit (1).

Quid hæc tandem declarant, niſi diffudiſſe ſe ſe Celtas per omnem late Europam? Fortaſſe initio unum omnium harum regionum nomen, unuſque ſermo Celticus fuit. Regiones reliquæ ſuccedentibus ætatibus alia ſortitæ ſunt propria nomina, atque uni deinde parti Galliarum, quæ ſita eſt inter Garumnam & Sequanam, Celticæ appellatio adhæſit diutius, quam cæteris. Pauſanias in Atticis ait conveniſſe tandem inter omnes, eos, Gallos ſcilicet, *Galatas* appellare, unde a latinis vox *Galli* confecta, cum ſe ipſi, aliique eos prius *Celtas* dicerent. Rudimentum quoddam Dictionarii Celtici apud Leibnitium (2) affirmat *Celtas*, aut *Keltas*, & *Galatas* idem nomen eſſe. Appianus (3) a Gallo quoddam Celtæ Fratre tradit nomen Gallorum profectum. Unde tamen *Gallorum* ortum vocabulum explico.

§. VII.

(1) V. Cluver. Germ. Ant. l. 1. c. 2. 5. 6. &c. & Martinier. Dict. Art. *Celtæ*.
(2) Leibnit. Collect. par. 1. p. 104.
(3) Appian. Illyr. init.

§. VII.

Cur nonnulli ex Celtis Gallorum nomen retulerunt.

Gallen vox eſt celtica, nunc *Wallen* enunciatur; & (1) ſignificat *iter facere*; ab *Gallen* Galli dicti. Cum enim hominum multitudo profuſa poſt Babilonicam diſperſionem in Europam, incredibiliter excreviſſet in Septentrionalibus regionibus, ubi initio conſederat, iiſque ægre contineretur, atque externas &c. ſedes petere cœpiſſet, a re ipſa vocabulum extitit: hinc *Gallen*, *Galler*, & diverſa dialecto *Waller* dicti, ex quo corrupte etiam *Wanderer* ortum, latine *peregrinantes*. Latini vocem linguæ ſuæ accommodantes fecerunt *Gallos*; at Græci, plerumque ſemper veris externarum Gentium nominibus aliquid de ſuo adjicientes, *Galatas* dixerunt, quo nomine eos, qui etiam in Aſiam ſeceſſionem fecerant, appellarunt. Antiqui Scriptores, quibus horum obſcura erat origo, neque niſi Gallia fuerat nota, unde gallicum nomen poſſent deducere, inconſulte ex Galliis eduxere Gallos omnes, quotquot ubique terrarum occurrerent. Hinc Juſtinus ſcripſit Gallorum juventutem ſummopere auctam, Aſiam omnem veluti examine compleſſe (2). Sane quidem Brennus A. Urbis conditæ CDLXXIV. cum magno exercitu Gallorum in Græciam irruperat; ſed pleraq. illa multitudo fuſa, atq. deleta fuit brevi: multo tamen ante hanc expeditionem Galli nomina-

(1) Cluverius Germ. Ant. p. 35. (2) Juſtinus l. 25.

nabantur, & florebant in Aſia; quique ii eſſent, Græci declarant cum eos Celtas aliquoties antiquiſſimo gentis vocabulo nominant. Hac porro ratione Gallicum procuſum, diffuſumque late eſt nomen, eoque affecta eſt gens Celtica Aſiam, Pannoniam, Germaniam, Italiam, Gallias, Hiſpanias, Britanniam pervadens.

Plura autem nomina, quæ nunc exordiuntur per *W*, antiquitus per *G* fuere elata in Germania præſertim, ubi infinita ſubſedere vocabula, & rudimenta linguæ Celticæ. Idem & in Britannia, ubi pluribus vocibus, quæ Angli per *W* proferunt, antiquiſſimi Britanniæ Populi *G* præponunt: itaque *Wigdt* inſulam dicunt *Gwydh*; Cambriæ fluvium *Wy*, *Gwy*; *Went* Urbem, *Gwent*. Eodem modo veterum Britannorum reliquiæ etiamnum ab Anglis *Walshmen*, & regio ipſa *Wales* appellatur, cum antiquitus eſſent *Galli*, & *Galles*. Hinc etiam *Galland* pro *Walland* debuit eſſe nomen, quo Dani Italiam deſignant, quam Germani ſuperiores *Wällisch land* appellaverunt: ſed hæc fuſe, atque explicate videnda in Cluverio (1).

§. VIII.

Linguæ Celticæ mira propagatio: uti etiam in Italiam defluxerit.

SEnſim a Celticæ gentis propagatione ad linguam ipſam Celtarum devenimus, quæ latiſſime cum ipſa gente peregrinata eſt, & in alias plures linguas diſ-

(1) V. Cluver. Germ. Ant. l. 1. c. 9.

diſpertita ita, ut integra nuſquam ſubſiſtat, niſi fortaſſe, diverſis obducta dialectis, in Britannia Gallica, ſeu minore, in Wallia Angliæ, & in Cantabria: horum enim populorum lingua eſt vetus Celtica, nec niſi dialecto diſtinguitur, ſic tamen, ut ſi ii populi paulo ſtudioſius animum intendant ad ſe ſe mutuo intelligendos, ſe ſe viciſſim percipiant, cujus rei ſpecimen ab ſe factum narrat Martinierius (1).

Olim vero diſſeminatam late fuiſſe argumento ſunt Celtica vocabula, quæ paſſim ſe offerunt in omnibus Europæ linguis, ſed potiſſimum in Teutonica, ſive Germanica, quæ pleraſque Celticæ radices retinuit. Nec mirum: Celtæ enim videntur omnes profecti ab Aſchenaze Gomeri filio, Japheti nepote, quem Cluverius (2) aliique probant Celticæ gentis parentem, & auctorem fuiſſe. Hic conſedit in Germaniæ plagis extremis, aut certe finitimis; & vero Hebræi Germanicam gentem *Aſchenazim* nominant (3).

Porro Aſchenazi poſt confuſionem perturbationemque linguarum, cum alii alið diſcederent ſedes ſibi quæſituri, obvenit pleraque pars Europæ. In iis tamen Germaniæ partibus, quæ plus Septentrioni objacent, ejus propago ſubſtitit ad aliquot ætates, anteaquam colonias ulterius in omnem Europam proferret. Ea re effectum, ut Germania, quæ ex omnibus Europæ regionibus prior habitari cœpta, primorum Incolarum linguam hauſerit, tranſmiſerit-

(1) V. Martinier. Diction. Art. *Celtæ*.
(2) Cluverius Germ. Ant. l. 1. c. 4.
(3) Volf. Lazius de Migr. gent. l. 3. p. 82.

miſeritque poſteris, atque eam radicitus teneat adhuc, niſi quod ſæculorum decurſu plurima etiam cooptavit vocabula aliarum gentium, quæ poſterius exundatione quadam ex Aſia in Germaniam, indeque in omnem Europam delatæ ſunt. Sed ante hos ipſimet Celtæ ſoboleſcente propagine coacti ſe ſe explicare, in Gallias, Italiamque redundarunt, ſuoque nomine, & lingua oras remotiſſimas complerunt. Eo accidit, ut ubique & Celtica nomina, & Celtæ ipſi occurrant. Græci autem, Latinique Scriptores qua Celtas, qua Gallos appellando, utrumque nomen ita commiſcuerunt, ut eorum res etiam perturbarint, & primam Celtarum propagationem in Italiam, cum poſterioribus irruptionibus, quæ factæ ſunt ex Galliis, narratione implicarint.

§. IX.

Oppida Celticæ originis & ubique alibi in Europa, & in Orobiis, Inſubribuſque.

JAm denique ad Orobios redeo, quos, contra ordinem, ſeriemq. Hiſtoriæ non pecco, ſi ex Celtis priſcis illis deducendos ſtatuo, a quibus primos Italia incolas habuit. In Indigenis autem habendos non dubito, quando ex primis Celtis profecti ſint; inde autem profectos æque ac Inſubres, de quibus poſtea, declarant Celtica eorum oppidorum vocabula: nam præter *Berghomum* plura alia Celticæ originis loca & in Orobiorum, & in Inſubrum finibus ſunt. Nonnulla profero, quæ cum aliarum Regionum nominibus, certiſſime judicio omnium Cel-

ticis

ticis ubique in Europa, placet comparare, ne gratis ea videar confingere. Lector utraque perpendet, & videbit non plus Celticiſmi ineſſe alienis, quam noſtris oppidis.

Conſtat apud omnes, Celtas pleraque oppidorum nomina terminaſſe quadrifariam: 1. in *Briga*, quod diverſis dialectis etiam enunciarunt *Brica*, *Briva*, *Brova*: 2. præterea Celtica loca deſinebant in *Magum*: 3. in *Durum* ſeu *Dura*; 4. denique in *Dunum*, *Dunum* omnes conſentiunt terræ tumulum, aut collem ſignificare: de reliquis vocibus non idem ſinguli exiſtimant. Ortelius [1] *Brigam* putat æquivalere græcæ voci *Polis*, *Burg* germanice; *Magum* ſignificare *Domum*; *Durum* vero eſſe, quod *Turn*, *Turris*. Hæc tametſi graviter confirmet, Cluverius [2] tamen contra ſentit, & maximo numero exemplorum contendit, hæc adjecta fuiſſe pagis & locis, quæ aquis, fluminibuſque aſſiderent, ut deſignarent vadum, aut pontem. Non mea intereſt pronunciare inter utrumque; quod ad rem pertinet, omnino hæ voces adhæſere oppidis celticæ originis. Ubique autem paſſim occurrunt & in omni Europa, & in Orobiis Inſubribuſque finibus, quod noſtros Scriptores præteriit, licet diligenter curioſiuſque Inſubriæ antiquitates illuſtrarint Alciatus, Bon. Caſtillionæus, & uterque Merula Inſuber.

Jamvero primæ claſſis Oppida, quæ in *Briga*, ſeu *Briva* deſinunt, ſunt præ cæteris in ulteriore citerioreque Hiſpania *Conimbriga*, *Cottæobriga*, *Deobriga*,

(1) V. ad finem Theſauri Geogr. enumerationem nominum ſimiliter cadentium, quæq. ibi obſervat.
(2) Cluv. Germ. Ant. l. 1. c. 7.

briga, *Langobriga*, *Meobriga*, *Arcobriga*, *Flaviobriga &c.* [*Coimbra*, *Città Rodrigo*, *Placentia*, *Lagos*, *Melgar*, *Arcos*, *Bilbao*.] In Galliis *Bautobriga*, *Samarobriga*, *Briva Iſaræ*, *Briva Carreſii &c.* [*Boppart*, *Amiens*, *Pontoiſe*, *Breſt* Scaligero.] In Anglia *Brige*, *Durobrivæ &c.* [*Brougthon* Cambdeno, *Dornford*. In Germania *Artobrica*, *Bodobriga &c.* [*Lebnau* vicus ab Salisburgio XVI. M. P., *Bopparten* ad Rhenum.] Huc adde *Brixia* & *Brixentes* in Norico, Celtis procul dubio *Brik*, & *Brikſel*, unde *Brixen* hodiernum, & *Brixia Brixellum* in Italia: æque iſthuc pertinent *Brigantium* in Rhætia, & *Brigantinus lacus*. At vero in Orobiis, & Inſubribus *Brigantium* oppidum exciſum, *Brigantini colles*, *Briga*, *Inſobriga*, *Bornobriga*, *Lambrobriga*, *Briva* aut *Brivum* aut *Imbrivium &c.* [*Brianza*, *monte di Brianza*], *Briga* in Novarienſibus, & Laudenſibus, *Invrigo*, *Bornigo*, *Lambrugo*, *Brivio*.

Secundæ claſſis Loca in *Magus*, ſeu *Magum* in Anglia ſunt *Noviomagum &c.*, in Galliis *Rotomagum*, *Juliomagus*, *Cæſaromagus* [*Gilford* in Anglia, *Nimega* in Gheldria, *Neumagen* in Treviris, *Spira*, *Liſieux*, *Nojon*, quæ urbes omnes retulere nomen Noviomagi, *Roan*, *Angers*, *Beauvais*]. Præterea *Camillomagum* in citeriore Gallia [*Cigognola*, aut ut Cluverius *Cigomola* ad Verſam omnem non procul Pado in Derthonenſibus] *Bodincomagum* [*Induſtria*] Urbs ad Padum exciſa. In Orobiis autem, & Inſubribus, *Ombriomagum*, *Albitiomagum*, *Uromagum*, *Senomagum*, *Carnutomagum*, *Caſſianomagum*, *Imbromagum*, *Mercuriomagum*, *Metiomagum*, *Inſubromagum &c.* [*Ombriago*, *Albizago*, *Urago*, *Senago*, *Carnago*, *Caſſanma-*

ſanmagnago, *Imberſago*, *Mercurago*, *Mezzago*, *Inzago*,] aliaque bene multa oppida, quæ ſimilem late in Inſubria terminationem habent, littera *M* aut indicata, aut eliſa ex Inſubrum dialecti natura, quæ in nominibus Oppidorum poſt primam ſyllabam *M* & *D* effugit, uti attente perſcrutantibus conſtat.

Durum etiam habuere Loca Celtica, & crebrius fortaſſe cæteris adjectis. Exempla hæc ſint tantum: *Lactodurum* in Anglia (*Bedfort*), *Batavodurum* [*Durſtede*] in Batavia: *Epomandurum* Sequanorum [*Mandure*] non procul oppido *Monbeliard*: *Divodurum* Mediomatricũm [*Metz*]: *Bojodurum* [*Paſſavia*]: *Vitodurum* in Tigurinis [*Vinterthur*]: *Solodurum* in Helvetia &c. [*Soleur*] : apud nos vero *Durum*, *Dura*, *Ædura*, *Segodurum*, *Arcodurum*, *Cantodurum* &c. [*Tur*, *Turà*, *Aizur*, *Segur*, *Arcur*, *Canturio*].

Denique ſint poſtremæ claſſis in *Dunum*, *Maridunum*, *Branodunum*, *Axelodunum* &c. in Britannia [*Caermandin* Cambdeno, *Branceſtre*, *Hexham*]: in Galliis *Noviodunum*, *Auguſtodunum*, *Uxellodunum*, *Melodunum* &c. [*Nojon*, *Auſtum*, *Cadenac en Quercy*, *Melun*: late in Germania *Tarodununum*, *Segodunum*, *Rebodunum*, *Dunum*, *Nevidunum*, *Minnidunum*, *Idunum* [*Friburg* in Briſgovia, *Sigen*, *Brin* in Moravia, *Thun* in Pago Friburgenſi, *Nion* in Bernatibus, *Mouldon* ibidem, *Udine*]. At vero nos habemus *Idunum* duplex hoc nomine oppidum, *Cymbrodunum*, *Lerodunum*, *Arelodunum*, *Imbrodunum*, aut *Inſubrodunum*, *Legiodunum*, *Oxellodunum* &c. [*Induno*, *Cibruno*, *Leruno*, *Arluno*, *Invruno*, *Legiuno*, *Oggiuno*, & fortaſſe etiam *Oſcela*].

Sed

Sed hæc ſatis ſuperque ad prodendam Celticam originem, & veſtigia eorum, qui initio a Celtis Bergomiſci, poſtmodum a Græcis, & Latinis Orobii, poſtremo admixti Inſubribus deſiere nominari. Ut enim magna erat natio Inſubrum, & plus cognita propter maxima, & internecina cum Romanis bella, hæc potiſſimum ab Hiſtoricis memoratur, unoque obvolvuntur nomine populi Inſubrum clientelares, ut ita dicam, uti Orobii, Lævi, Mariſci, quorum unum erat antiquitus genus Celticum. Orobiorum tamen nomen decurſu temporum debet apud Inſubres etiam antiquitus valuiſſe; ejuſque aperte ac manifeſte declarant uſum *Mons Orobiorum* [*Monte Robio*], & *Orobiates* [*Robiate*] non inde procul.

Hæc ego conſcripſeram; atque ea cum una ſimul cum amico communicarem, quid tu, inquit, hæc ſubtilius? mallem vulgaria etiam rerum quarumdam vocabula, quæ in ore ſunt plebis, aut attendiſſes, aut non præteriſſes: habuiſſes enim, cur Orobiorum antiquitatem pluribus explicares. Sed enim delicatæ aures a popularibus abhorrentes vocibus, plura veterum ignorant, quæ verborum inquiſitio diligens aperiret. Cum ſubriſiſſem, utq. diceret annuiſſem; atqui ego ita exiſtimo vulgarium quædam rerum vocabula, quæ popelli celebrantur ſermonibus, tam eſſe priſca, atque ſolemnia, ut latinam ipſam linguam plus multo antiquitate ſuperent. Facile tibi videbor incredibilia narrare; ſed ita eſt, atque hæc nunc habe. Genus Caprini caſei minimæ formæ *Orobòlam* vocamus Inſubres, *Robiólam* vulgus. Vocabuli inſolentiam nemo noſtrum non ridet: nomen

men tamen, quod ignotæ, humiliſq. originis hactenus eſt habitum, plus aliquanto deinceps obſervabimus. Ut enim Catonis judicio Paſtores prius, tum Coloni, poſtremo Cives extitere, ita & de vocibus eſt dicendum; atque ante urbana reliqua epularum ornamenta, uſus nomenque Orobiolæ floruit. Orobiis enim armenta, pecorum agentibus in aſperis ſaltibus hæ reliquæ deliciæ erant ex ſuis gregibus: ab illis vocabulum conditum, aut certe partum. Ita unius gentis antiquiſſimæ nomen, quod in uno vix Scriptore legimus, quodq. multi in reliquis Hiſtoricis conquiſivere fruſtra, in vulgi erat quotidie manibus, quin quiſquam ſuſpicaretur; & in caſeolis perennabat.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO X.

DE ORIGINE INSUBRUM.

DE Inſubrum origine diſputaturus ita rem omnem explico, atque diſtribuo. I. Sumbrii oppidi [*Seprio*] antiquitas, & ruinæ. II. Hujus oppidi priſcum nomen præfert originem Inſubrum: fabulæ recentiorum hac in re. III. T. Livius originem Inſubrum non pandit. IV. Neque Plutarchus, Strabo, Polybius: irrita Berettæ promiſſa. V. Imago Marchionis Trivultii: cur hic loci: ejus prolixitatis excuſationem auctor poſtulat: utinam ejuſcemodi viris omnes amici ſimilia tribuant. VI. Quod priſcum eſſet Inſubrum nomen. Priſcum nomen *Inſubrum* ſignificat Umbros Inferiores: explicatio particulæ *Is* & *Ins*: Inſubres aliquoties etiam *Umbri* vocati. VII. Umbri cum Siculis primi fuere Italiæ Incolæ: non mari, ſed terra primitus pervenere in Italiam. VIII. An Umbri in Hetruriam & in Umbriam prius, an vero in Inſubriam venerint: nomina utrobique æqualia: ea ex Inſubria trans Apenninum delata fuere. IX. Umbri erant Celtæ: Celtica vocabula in Latinam linguam quomodo tranſmiſſa.

§. I.

Sumbrii Oppidi antiquitas, & ruinæ.

ORigo Inſubrum de Sumbrio oppido [*Seprio*,] ut nonnulla dicam, poſtulat. Priſcum enim ejus nomen hanc quæſtionem peperit; omnium autem Inſu-

Inſubriæ antiquiſſimum ſemper eſt habitum, fuitque veriſimilius a primis Inſubriæ incolis conditum. Huic nomen fuit *Sombrio*, *Sumbrio*, *Symbrio* etiam veriſimilius *Simbrivio*, vocabulo paulum producto, & arbitrio, viciſſitudineq. temporum leviter immutata. Aberat ab Urbe P. M.XXVII. circiter, tantumque olim frequentia, & fortunis floruit, ut æquipararetur Urbibus, & Civitatis nomine donaretur aliquoties in publicis tabulis.

Stetit uſque ad A. MCCLXXXVII., quo Otho Vicecomes Archiepiſcopus, & Mediolani Dominus, oppidum Mediolanò nunquam non infeſtum, & grave exſcindi juſſit: tum lege ſancitum in perpetuum (1), ne lapidi lapidem ſuperaddi Mediolanenſis Prætor pateretur.

Sumbrii excidio Mediolanum crevit; huc enim commigrarunt Familiæ veteri nobilitate illuſtres; neque antiquæ oppidi claritatis, præter magna rudera, ſuperfuit quidquam. Unà tum interiere plurima Romanæ ætatis monumenta, aut in propinquos pagos diſtracta ſunt; ſed plures quotidie Inſcriptiones inde eruuntur. Bonaventura Caſtillionæus caſtella fortiſſimis locis impoſita, oppidi deſcriptionem, & pulcherrimam circumjecti agri imaginem exhibet (2); atque ex illo intelligimus ſua etiam ætate, ſæculo ſcilicet decimoſexto, Inſcriptiones quaſdam in illis ruderibus fuiſſe, omnino ignotæ, & nuſquam viſæ in noſtris regionibus linguæ, quas

(1) Triſt. Calchus Hiſt. Med. l. 17. p. 385.
(2) Bonav. Caſtill. Gallorum Inſubrum Antiq. ſedes p. 15. & ſeq.

quas miror hominem harumce rerum magnopere ſtudioſum non exſcripſiſſe, quoad licebat, ut poſteris traderentur explorandæ, ſi cui ea cupiditas fuiſſet, uti exſcripſit, & vulgavit cæteras.

Priſcæ dignitatis indicio relictum Templum S. Petro ſacrum, & regioni nomen *Comitatus Seprii* a veteri Metrocomia. Priſcum *Sumbrii* nomen valuit uſque in XI. ſæculum, tametſi corripi in *Subrium* cœperat, uti privatæ publicæque ejus ætatis tabulæ præferunt: ſenſim denique linguæ Italice conformatio *Seprium* peperit, *Caſtrum Inſubrium* etiam appellatur in teſtamento Manicundæ, quam Langobardorum Reginam Caſtillionæus putavit; ſed Julinus (1) & Muratorius negant teſtamenti rationem ad Luitprandi ætatem referri. Hoc libentius doctiſſimi, quodque doctrinam multo magis exornat, modeſtiſſimi Viri Comitis Georgii Julini mentionem interſero iterum, quod ejus diligentia, & pertinax labor in illuſtranda Patriæ, Agrique Mediolanenſis Hiſtoria medii ævi, documento eſt Patritiorum ſtudio inclareſcere plurimum Civitates poſſe, ſi non levitate, aut otio obterantur mentes, ſed virtute & conſilio præſentem, doctrina & monumentis præteritam Patriæ gloriam proferre ſtudeant, commendentque nepotibus.

§. II.

(1) Julinus Memorie della Città e della Campagna di Milano T. 1. p. 351. V. Muratorium Antiq. Med. ævi T. 2. p. 239.

§. II.

Hujus Oppidi nomen præſert Inſubrum originem.

VEtus porro Sumbrii Oppidi nomen Inſubrum originem propemodum pandit, quam, quod ego ſciam, hactenus prodidit nemo; noſtrates autem fictis, & commentitiis fabulis mirifice impedierunt ſecuti Pſeudo-Beroſi ſomnia. Et mirum eſt Alciatum deridentem Anniani Catonis de Novaria ab Hercule condita judicium, deinde tantum Anniani Beroſi auctoritati tribuiſſe, ut Mediolani, & Inſubrum originem explicans, de illo magnifice prædicet (1): *At Beroſus, graviſſimæ auctoritatis Vir, Noe ipſum eundem & Janum eſſe ſcribit... Fuit huic ex Tubale.. Subres, qui majorum veſtigia ſecutus cum magna Tuſcorum manu trans Padum profectus, quo in loco nunc Mediolanum eſt, oppidum condidit, quod ex ſuo nomine, oraculi fidem ſecutus vocavit Inſubrium. Siquidem non modicæ exiſtimationis auctor quidam ſcriptum poſteris reliquit, conſultam a Subre Themin, an Subrum pagum a ſe ſtructum appellaret, negaſſe id ex re futurum; quo circa Subren alioquin nominis ſui ſtudioſiorem negativæ particulæ additamento Inſubrium nuncupari voluiſſe.*

Eadem fere de Inſubriæ nominis, & Mediolani origine noſtrates alii Scriptores; at non Triſtanus Calchus, qui majori conſilio hiſce ſepoſitis ab Mediolano per Gallos condito Res Patriæ exorſus Hiſtoriam gravem confecit, & argumenti dignam auctoritate.

§. III.

(1) Alciat. Hiſt. Patr. l. 1. initio.

§. III.

T. Livius originem Inſubrum non pandit.

ATque hæc me ſcribere cogitantem vir ſummus, mihique perquam veteri amicitia conjunctus, Marchio Theodorus Trivultius Athenis dignus, ſed antiquis illis Athenis, cum Socrates, & Platones abſolutam quandam ipſius ſapientiæ, virtutiſque imaginem orbi terrarum conſpiciendam præiuliſſe prædicantur, is, inquam, admonuit, uti conſulerem Livium; videri enim ab Galliis profectos eſſe Inſubres. Parui; ſed aut plurimum fallor, aut de Inſubrum origine in Livio nihil. Quippe, quo videri poteſt loco tradere Inſubres ab Gallis ortos, Hiſtoricus nominatis Biturigibus, Arvernis, Senonibus, Heduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis, qui regnante Tarquinio Priſco in Italiam ducente Belloveſo irruperunt, *ipſi*, inquit, *Taurino ſaltu invias alpes tranſcenderunt, fuſiſq. acie Thuſcis haud procul Ticino flumine cum, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum, ibi omen ſequentes loci condidere Urbem, Mediolanum appellarunt* (1). Quibus quidem ex verbis intelligo Gallos Mediolano condito potuiſſe hic ſubſiſtere, unamque gentem conſlare ſibi ſumpto communi Inſubrum vocabulo; ſed cum, in quo

(1) T. Livius l. 5.

quo conſederant, Ager *Inſubrium* appellaretur jam tum, integra eſt adhuc res, & ſupereſt inquirendum, unde huc Inſubres advenerint, undeque nomen retulerint. Quod autem Hedui Pagum, quod in Liviano ſcribendi genere oppidulum, non populum ſignificat; quod, inquam, pagum Hedui haberent Inſubribus cognominem, non facit, ut inde potuerint ante illam ætatem Inſubres ad nos deſcendere. Eſt immo, cur ſuſpicemur pagum tranſalpinum a Ciſalpina cognomine natione conditum potius, quam ab uno pago magnam nationem profectam fuiſſe. Sed conſtabit poſtea, quomodo Inſubrium nomen potuerit Gallorum animos pagi Gallici memoria percellere. Ignota interim adhuc atque obſcura ex Livio origo eſt noſtræ gentis.

§. IV.

Neque Plutarchus, Strabo, Polybius: irrita. Berettæ promiſſa.

NEque vero Plutarchus, Strabo, aut Polybius plus aliquid probant. Hic Gallorum, qui in Italia erant, omnium maximam nationem ait fuiſſe Inſubres [1]: alterius judicio maximæ Gallorum gentes erant Boii, & Inſubres, &, qui Romanam Urbem ſubito adventu cœperunt, Senones [2]: Plutarchus [3] denique *Inſubres*, inquit, *Gallia gens ſubalpina, quamvis per ſe eſſent numeroſi & potentes, tamen*

(1) Polyb. l. 2. (2) Strabo l. 5.
(3) Plutar. in M. Claudio.

tamen milites ex cæteris Gallis mercenaria ſtipendia merentes, qui vocantur Geſatæ, exciverunt. Sed hi de Inſubribus loquuntur auctis jam multitudine Gallorum, qui ſub Tarquinio irruperant, permixtique cum veteribus incolis in unam gentem, unumque Gallorum Inſubrum nomen coaluerant; qui tamen, aut unde orti eſſent Inſubres, non aperiunt.

P. Jo. Gaſpar Beretta Caſſinatium Abbas, auctor Tabulæ Chorographicæ maximo, acriq. ſtudio illuſtratæ, quam Volumen X. Scriptorum Rerum Italicarum præfert, patefacturum ſe ſpoponderat Inſubrum originem, quam a Græcis fontibus hauriendam ſtatuebat. Magna erat expectatio, ſed aut deſperarit, aut mors intercеſſerit, omnis cum illo ſpes concidit.

§. V.

Imago Marchionis Trivultii.

HÆc ejus promiſſa ante biennium perlegenti mihi injecta eſt cogitatio explorandæ altius Inſubrum originis: quid tentarim primo, quidque cogitarem, geminæ declarant epiſtolæ, quas ad Marchionem Theodorum Alexandrum Trivultium tum dederam, mihi, dum hæc ſcribo, immortuum, nudius ſcilicet tertius, qui dies erat ad xv. Cal. Decembr. MDCCLXIII., cujus quidem ſapientiſſimi, optimique Viri deſiderium nulla mihi unquam vitæ diuturnitas leniet, perpetuoque inhærentem defixamq. animo tantæ probitatis virtutiſq. imaginem afferam, ut & ejus ſuaviſſima conſuetudinis, familiaritatiſq. memoria recreer, & ſummopere mirer in

uno

uno Viro tam multa fuiſſe. Erat enim Familiæ amplitudo, erat Majorum commendatio, opum copia, mentis animiq. magnitudo, & parata ſemper ac prompta ad omnes amicorum, civium, Patriæq. caſus copia conſiliorum; denique integritas, moderatio, liberalitas, pietas, fides, amicitia. Sed ingenium mirum; magnum optimarum artium ſtudium; & omnis liberalis, dignaque homine nobili doctrina. Memoria autem Patriæ rerum tanta, ut amplexa latiſſime Urbis inſtituta, leges, mores, naturam, indolemq. Inſubriæ, & quid quoquo tempore, ab illis Reipublicæ Mediolanenſis ætatibus ad has uſque boni malique intervenerit, origines proceſſus, effectus cauſas accurate diligenterq. explicaret.

Sed quoad reliquarum gentium rationes, vereor ne amore videar plura dicere, quam in illo fuerint. Ita tamen habet, ut de Europæ, Aſiæ, Africæ, Americæque regnorum, ac regionum opibus, viribus, frequentia, cultu, ingenio, ſtudiis, commercio, negotiatione diſputaret, quemadmodum omnium locorum incola. Et memini circiter ante triennium cum Fagelius nobiliſſimus Adoleſcens Fœderatarum Provinciarum Supremi Cancellarii Filius Litteras ampliſſimi, doctiſſimique viri Comitis Othonis Frid. Lyndeni Noviomago ad me afferret, quibus ille litteris totum adoleſcentem diligentiſſime commendabat; una autem cum Fagelio Roſencroonius præclaro loco natus ex Dania Italiam peragraret, atque hos ego ad Trivultium deduxiſſem, qui nullis totos eos dies officiis defuit erga præclarum illud adoleſcentium par; memini inquam Taverium honeſtiſſimum, & prudentiſſimum virum Batavum,

cujus

cujus creditus erat fidei Fagelius, poſt aliquot conſuetudinem dierum cum Trivultio venire ad me admirantem eorum nihil penitus ignorare Trivultium, quæ ad Fœderatos Ordines pertinerent, & quæ perpauci admodum ex Batavis ſcirent arcana atque recondita, uni illi eſſe perſpecta.

Sed Trivultius peregrina Regna, externaſque gentes vix egreſſus adoleſcentia ita perluſtraverat, ut in frequentiſſimis Civitatibus diutiſſime reſideret, atque ut erat ampla quadam mente atque acri, animo autem excellenti ac gravi, in conſilii ſapientiæque laude florentium virorum conſuetudinem ſe dabat, his adhærebat de rerum ſumma, deque re publica diſputans, atque ex eorum ſermonibus in animum ſuum inferebat notiones rerum, conſiliorumque copiam, ſe ſe ipſe informans ad omnem ſapientiam.

Ita rediit mirifica populorum cognitione, & præterea linguæ Græcæ, Gallicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ, Batavicæ uſu & copia locuples, ſibique Bibliothecam apparavit omnigenæ doctrinæ monumentis divitem, ſed præcipue Regnorum, ac Gentium notitia inſtructiſſimam; atque in illa ita perpetuo erat, ut in ampliſſima ornatiſſimaque domo hanc unam ſibi fixam certamque ſedem haberet, ubi quidquid liceret temporis legendo, cogitando, commentandoque tribueret; inibique quotquot ad illum irent, cives exteri, amici æquales, ſummi imi exciperentur, plena prudentiæ, plena amicitiæ conſilia caperent, negotia graviſſima expedirent, quæſtiones componerent, collocutiones conſererent, in ejus ſuavitate amicitiaque conquieſcerent. Patebat autem illa totos dies, eratque prudentiæ, gravita-

vitatis, privati publicique conſilii prope domicilium; ut mihi quando cætera deeſſent, videatur hac una re Trivultius magnus profecto, & admirabilis vir fuiſſe, qui cùm omnium ordinum, tum ſingulorum fere civium ſuorum amorem benevolentiamque retulerit: tantum amicitiæ, fidei, conſilii, auxiliique in illo erat viro. Qui poſtremo ignoto implicitus, & perbrevi morbo, cum annos vixiſſet octo & ſexaginta, tam pie obiit, quam quiſque vellet; tam conſtanter quam qui ſciebat ſuperfore in ſuis liberis paternæ probitatis integritatiſque imaginem; tam denique omnibus deflendus, quam qui deinceps nuſquam futurus eſſet quorumcumque commodo, atque præſidio.

Dabit hanc Lector veniam, ſi tanti viri caſu longius ab argumento diſceſſi. Sed inter ſcribendum cum perpetuò animo, ipſiſque fere oculis hauſta tot annorum conſuetudine obverſaretur imago amiciſſimi atque optimi viri, explicantemque hæc, de quibus non ſemel cum illo egeram, luctu acerbiſſimo interpellaret, temperare mihi non potui, quin dolori pluſculum indulgerem. Nunc illuc redeo; & Inſubrum originem pando, quæ ab ipſo Inſubrum educenda eſt nomine, quod minime, quod ſciam, fuit adhuc obſervatum.

✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠

§. VI.

§. VI.

Priſcum nomen Inſubrum ſignificat Umbros Inferiores: explicatio particulæ Is, *&* Ins. *Inſubres aliquoties etiam Umbri appellati.*

VEtus ac priſcum horum nomen eſt *Iſombri*, ut habemus ex Polybio, qui ex omnibus Scriptoribus primus res Inſubrum protulit. Polybium ſecuti ſunt cæteri paululum mutato vocabulo: Strabo *Sombrios*, aut *Symbrios*, & *Inſóbres*, Plutarchus *Inſombres* fecit: Latini dixere *Inſubres* exſtruſa liquida *M*, terminationeque facta in *ber*, uti conſuevere in reliquis nominibus, quæ Græci in *bros* deducebant: uti *Iſombros*, *Sugambros*, *Cymbros*.

Porro vocabulum *Iſombri* a Polybio tranſmiſſum eſt compoſitum manifeſto ex particula *is*, & nomine *Ombri*. Paſſim ejuſcemodi nomina occurrunt Populorum adaucta protheſi, ſive particula, ad explicandam cæli, ſoli, naturæ, nationis indolem. Ita ex *Getis* orti *Tyragetæ* a *Tyra* priſco nomine fluminis *Nieſter*, *Maſſagetæ &c.* & *Samogetia*, *Dircogetia &c.* quodque huc magis pertinet, legimus etiam Umbros diſtinctos in *Vilumbros*, & *Olumbros*, quibus nominibus Ptolomæus deſignat Umbriæ gentem cis, tranſque Apenninum. Eodem modo Iſombri dicti, ut diſtinguerentur ab *Ombris*, aut, ut invaluit, *Umbris* ſuperioribus. Vox eſt Celtica, uti deinde declarabimus; *Is* autem particula [1] Celtice ſignificat *imus*, *infe-*

(1) Davies Lexic. antiq. Britan. Lat.: Pallouttier Diction. de la langue Bret.; Camden Britannia p. 449.

inferior, *ſubtus*: quamobrem *Iſombri* tantum valent, quantum *Umbri Inferiores*.

Neque vero magni momenti eſt, quod legantur etiam *Inſombri*. Quæ enim nomina particulam *is*, aut *ins* habuere præpoſitam, levi negotio ſemivocalem *N* ſumpſere, aut deperdidere. Plura præſto eſſe poſſunt exempla; ſit hoc tamen plane ad rem. In inferiori Britannia, ubi Celtica ſubſtitit lingua [1] *deprimere* dicitur *Iſelaat*, adhuc tamen & *Inſellat; depreſſio Iſelded*, & *Inſelded; depreſſus*, *Iſel* & *Inſel; depreſſa Iſéle* & *Inſele; depreſſior Iſéloh* & *Inſeloh*. Ejuſcemodi alia multa occurrunt, aut dialectorum, aut orthographiæ variante forma uſque ad noſtras ætates in unaquaque lingua perpetuo: quare E. G. *Oenipontum* diverſimode auctores exhibent Germani, Italique, cum *Einſpruch*, *Inſpruch*, *Iſpruch*, *Spruch* appellent Oeni fluminis, cui adjacet, quodq. *Inn* incolæ vernaculo quidem, ſed antiquo Celtico nomine appellant, Œni inquam fluminis aut omiſſa, aut adjecta notitia.

Idem igitur vocabulum ſive *Iſombros*, ſive *Inſombros* legas Neque minus ſunt iidem *Sumbrii*, & *Symbrii*, quos nominat Strabo; eſt enim vox *Iſombri* acephala, uti nobis Italis vox *Spagna* eſt diminuta ex

(1) Roſtrenen Dictionaire Francois-Celtique, ou Francois Breton Rennes 1732. artic. *Abbaiſſement &c. baſſeſſe &c.* V. etiam Dictionaire Francois-Celtique enrichì de Theme &c. par Mr. l'A ... à la Haye 1756. Hæc, & ſimilia adnoto ex epiſtola P. Stanislai Bardetti S. J. hiſce, aliiſq. ſtudiis doctiſſimi viri, quem hac de re conſului, cum Celticis Dictionariis carerem, neque Mediolani uſpiam apud quemquam reperiſſem.

ex *Hiſpania*. *Inſuber* denique Latinorum quid eſt aliud, niſi *Inſumber* ſincope correptus?

Inſubrum igitur nomine deſignabantur inferiores Umbri; quamquam aliquoties Inſubres videntur etiam ſine protheſi appellati ſimpliciter Umbri. Indicio eſt vox *Umbro*, appoſita flumini *Lambro*, *Ombriomagum* pagus antiquus Inſubriæ [*Ombriago*], & *Umbrianum* [*Umbriano*] in agro Cremenſi. Præterea Probus Grammaticus ad illud Virgilii Georgicorum ſecundo:

Te Lari maxime, Teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens Benace marino

uterque, ait *Lacus eſt in Italia; Larius Umbros tangit & pervenit uſque Comum*. Tangit autem decuſſatim ad Oppidum Leucum excurrens, & Abduam fluvium inde in Inſubriam emittens. Niſi potius, ut mihi videtur, dicendum eſt tangere Umbros ſuperiores, quos deinde in Helvetia deprehendemus: quorum ſitu cognito facilius explicari poteſt impedita Herodoti ſententia, ubi de fluviis in Iſtrum influentibus *præterea*, inquit, *ex regione, quæ eſt ſupra Umbricos, Carpis & alius ad ventum aquilonem Alpis in Iſtrum exeunt* (1). Geographi (2) torquentur plurimum in hiſce deſignandis fluminibus, quando eorum videntur nomina penitus deperiiſſe. Obſcuritatem, & tenebras affert difficultas ipſa circumſcribendæ deprehendendæque regionis, quæ ſuperimminet Umbricis ſuperioribus, qua cognita Geogra-

(1) Herod. l. 4.
(2) V. Ortelii Theſaurum, aliofq. Geographos.

graphis pronius erit Herodoti flumina expiſcari.

Umbri inferiores appellant neceſſario Umbros ſuperiores. Nonnulli cenſendos eos putant, qui dominati late in Etruria mare ſuperum & inferum incoluerunt, finibus a Tiberi productis ad Macram, aut certe uſque ad Arnum, qui Liguriam terminabat, ut ex Licofrone (1) aliiſq. cognoſcimus. Umbros deinde ex Etruria in Umbriam compulere Pelaſgi; atque hos deinde Lydi exegere, a quorum Rege Tyrrheni, a pluribus Græcis *Tyrſeni*, mox a ſacrifico ritu Tuſci ſunt appellati, uti docet Plinius (2). Quos tamen *Umbros ſuperiores* ego exiſtimem, & innui, & patebit inferius.

§. VII.

Umbri cum Siculis fuere primi Italiæ incolæ: non mari, ſed terra primitus pervenere in Italiam.

SEd in Etruriam, unde pervenerint Umbri, neſcio, an exquiſierit quiſquam. Errant ſi qui eos illuc claſſi advectos ex Græcia putant, nixi Umbrici nominis etymologia Græca, quam tradit Plinius (3). Alio loco videbimus nominis Etymologiam eandem non unius eſſe linguæ Græcæ: hoc nunc mihi videor tuto poſſe aſſerere, primos Græcorum, qui in Italiam appulerunt, fuiſſe aut Pelaſ-

(1) Licofr. in Caſſandra ver. 1355. Cluverius Ital. Ant. l. 2. c. 1. 4. 5. Brietius Parall. Geogr. T. 3. p. 354.
(2) Plin. l. 3. c. 5.
(3) Id. l. 3. c. 14.

laſgos (1), aut eos, qui Œnotro Duce adnavigarunt, ſive Aborigines, ſive Græci alii fuerint, ante quorum tamen adventum Umbri, & Siculi jam florebant. In Indigenis male (2) ab Quadrio numerantur Tyrrheni. Hi ſucceſſere dumtaxat Pelaſgis Herodoto (3), Dionyſio Alicarnaſſæo (4), Plinio (5) teſtibus. Aliqui Indigenis addunt Oſcos, quos Græci *Opicos* dixere; ſed non ſatis videntur fuiſſe Indigenæ, & fortaſſe enati ſunt ex Umbris: certe ex eodem erant genere cum Umbris: Oſci enim communi lingua utebantur cum Sabinis, qui Umbrorum erant ſoboles. Utcumque fuerit tamen, Umbris, & Siculis adjecti deinde ſunt Aborigines, multo tamen ſerius, ut dicam (6): ante hos non eſt indicium quemquam in Italia fuiſſe. Siculi deinde ab Aboriginibus pulſi in Sicaniam Inſulam refugere, quæ ab illis in hanc diem habet nomen: Aborigines aucti novis populis, & Græcorum coloniis poſtremo in Latinorum nomen conceſſere, ex iiſque Latium extitit. Umbri, qui initio fortaſſe eadem gens fuerant cum Siculis, nomen primum retinuere, ſedeſque ampliſſimas in Inſubria, & in Etruria habuerunt.

De eorum in Italiam tum vacuam adhuc, atque in Etruriam adeo adventu hoc certum, non mari adveniſſe; neque puto quemquam fore, qui poſt tam multa a doctiſſimis viris graviter, ſolerterque perpenſa, & explicata, id jam ſuſpicetur. Ma-

(1) Dionyſ. Alic. l. 1.
(2) Quadrius Diſſert. 1. de Valle Tellina.
(3) Herod. l. 1. (4) Dionyſ. lib. cit.
(5) Plin. l. 3. c. 5. (6) Diſſ. XI.

Maria enim primis illis ætatibus non patebant, namq. ipſa navigationis inſtrumenta ignorabantur, & vix fortaſſe cymbularum rudimentis quibuſdam informibus propiora littora legebantur: lata navigatio Ægyptiis, & Tyriis florentibus tantum cæpta inſtitui. De hac una re omnes conſentiunt primas colonias ex Aſia in Europam ſe immiſiſſe per extrema Germaniæ, inibique diu conſediſſe; creſcente autem, protrudenteque ſe multitudine latius ſe explicaſſe; ſenſim ætatum decurſu ſucceſſiſſe Alpibus, indeq. colonos in Italiam tranſmiſiſſe, dum alii interim trajecto Rheno in Gallias, aliaſque Provincias exundabant.

§. VIII.

An Umbri in Etruriam & in Umbriam prius, an vero in Inſubriam pervenerint? nomina utrobique æqualia: ea ex Inſubria delata fuere trans Apenninum.

AN vero Umbri, qui primi Italiam apprehenderunt, in Inſubriam prius, an in Etruriam pervenerint, quæri poteſt: ego ita ſentio in Inſubria primitus conſtitiſſe. Eſt enim incredibile populos ex Rhetiæ, Helvetiæq. ſaltubus erumpentes, ad Tiberim, & ad Arnum antea, quam ad Padum, & ad Ticinum perveniſſe. Quid, quod ſtatim ex hiſce montibus egreſſos excipiebat lata planities; multiplices autem fluvii, & Lacus armentis, atque hominibus victus copiam, commerciiq. inter ſe ſocietatem præbebant, cum aliunde Apennini altitudo, inacceſſique ſaltus, primo ipſo aſpectu deterrerent ab itinere ulterius pro-

proſequendo, acceſſumque præcluderent in ulteriorem Italiam, atque in Etruriam?

Quamobrem etiam intelligimus, quid tam multis Inſubriæ fluminibus & oppidis reſpondeant locorum, & fluviorum nomina in tranſapenninate Italia, quam olim Umbri habuere. *Umbro*, & *Arnus*, qui duo fluvii Etruriæ ſunt, iidem apud nos ſunt, quorum prior medium agrum Mediolanenſem interſecat [*Lambrum* vocant, de eoque iterum dicemus], alter apud Gallaratum oppidum defluit. *Silarus* fluvius eſt æque in agro Laudenſi, & in Samnio: *Trebia* non procul Placentia amnis, & Trebia palus in Umbria. *Acerræ* antiqua Urbs Inſubrum, eadem erat ſextæ Regionis in Umbria Strabone teſte: utrobique *vicus Martis*, nobis hodie *Vimercato;* utrobique *Mevania* [*Bevania* & *Bevagna*], itemque *Buſta*, *Iguvium*, *Symbrivium*, *Imbrivium*, *Suillum*, unde Suillates Plinio, *Saſſina*, *Adfinis &c.*, quæ noſtra referunt oppida *Buſto*, *Iggiu*, *Seprio*, *Brivio*, *Suello*, *Saſſina*, unde valli nomen, *Fino &c.* His adde *Palantium*, *Suna*, *Hiſpelum*, *Horta &c.*, quæ loca adjacebant Lacui Ardeatino, quorum cognomina oppida adjacent, aut non multum abſunt a Verbano Lacu, ſuntque *Palanza*, *Suna*, *Hiſper*, *Horta &c.*

Quæ quidem Inſubriæ loca, ſi quis contendat abs Tyrrhenis huc progreſſis nacta nomen fuiſſe, intelligo quidem valere fortaſſe conjecturam poſſe in iis nominibus, quæ Etruriæ locis ſunt conſona; de iis tamen, quæ ad Umbriam, Umbroſque ſpectant, non intelligo. Immo vero cum fluminibus, & locis illi nomina tribuerint, qui primi omnium regiones, in quibus ea ſunt, incoluere, profecto Etruriæ Oppi-

Oppidis, & Fluviis Umbri, & non Tyrrheni nomen appoſuere; Umbri enim primi habuerunt Etruriam: eos autem impoſuiſſe nomina manifeſte declarant & fluvius, qui Etruriam interfluit, & Mons Etruriæ, quibus *Umbronis* eſt nomen ab Umbris factum.

Jam vero quis putet Umbros ex Alpibus erumpentes in ciſpadanas haſce regiones, & in Venetis Inſubrumque finibus conſidentes, loca & flumina ſine nomine reliquiſſe, quouſque aut eorum pars trans Apenninum profecta, aut poſt ætates benemultas Tyrrheni nomina, quæ Tuſcis fuerant locis indita, huc tranſmitterent, ſeu deferrent poſt tantum temporis ſpatium? Sed quæſtionem ſic paucis definio, atque complector: Umbri, qui in primis Italiæ incolis fuere ab extrema Germania tranſgreſſi ſunt in Italiam per Helvetias Rhæticaſque Alpes: inde deſcendentibus prius patebat Inſubria, quam Etruria, aut tranſapennitatium cæteræ regiones; in Inſubria itaque prius, quam in illis plagis conſtitere; atque adeo Arni, Umbronis &c. nomina prius in Inſubria audita, quam in Etruria.

At qua Umbri ipſi tandem ex gente? Ut horum origo aperiatur, nonnulla diligentius ſunt perſcrutanda. Solinus ex Boccho Romano Scriptore, quem Rychius male confundit cum Mauritaniæ Rege ejuſdem nominis, quemque prænomen Cornelii videtur indicare Libertum fuiſſe ex eorum magno numero, quos Sylla doctos & litteratos una ſecum habebat: Solinus, inquam, quem deinde alii ſunt ſecuti (1) Umbros Gallorum propaginem appellat:

(1) Solin. l. 8. Servius ad Æneid. 12. Iſidorus de Orig. l. 9. c. 2.

pellat: *Bocchus abſolvit Gallorum veterum propaginem Umbros eſſe: M. Antonius refert, quod tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperſuerint, Ombros græce nominatos.* Quorum eſſent Gallorum propago nec ipſe, neque aut Servius, aut Iſidorus, qui habent eadem, referunt. Galli irruperunt in Italiam, ut diximus, Tarquinio Priſco Romæ regnante, neque ante hos quiſquam memorat gentes ex Galliis ad nos pervenisse. Cum igitur Umbri bene multas ætates ante illam irruptionem florerent, nemo ſuſpicabitur Solinum, aut Bocchum præpoſtere exiſtimaſſe ab hiſce Gallis prognatos Umbros. Quærenda itaque gens alia, quæ Gallorum nomen uſurparit, primaque potuerit in Italiam pervadere.

§. IX.

Umbri erant Celtæ: Celtica vocabula cur in latina lingua.

IN ea Quæſtione, quæ eſt de Orobiis, oſtendi vocabulum *Galli* pure pute Celticum eſſe; neque hac ætate, Leibnitii judicio, aliorumq., quiſquam eſt ſapiens, qui in dubium revocet Celtas, Gallos, & Galatas eſſe idem. Celticè enim vocabulum *Galli* deſignat peregrinantes, aut in diverſas partes abeuntes: quo nomine donabantur a reliqua Celtarum multitudine, & ſibi ipſis id ſumebant, agmina novas ſibi ſedes quæritantia. Celtæ igitur ſive ab Aſchenaze Japheti nepote, Gomeri filio, progeniti fuerint, uti vi ſumma contendit Cluverius, videturque evincere; ſive Gomerum ipſum habuerint au-

auctorem, certe aliquot ætates poſt diſperſionem gentium ſubſtitere in Germaniæ regionibus, quæ plus ſeptemtrioni ſubjacent, ut alibi dixi; decurſu vero temporis cum incredibiliter augeretur propago, ſedeſque etiam aliis de cauſis ſubducerentur incolis, ut infra dicam, ſenſim in Germaniam, & in Italiam delapſi ſunt. Progreſſionis eorum indicia proferam, ubi de ipſa Umbrici nominis ſignificatione diſputabo. Quæ Celtarum pars ad nos devenit, tametſi Umbrorum jam aſſumpſerat nomen, non dubito, quin Gallorum etiam appellationem retulerit initio a peregrinatione: atque ejus diutiſſime permanens memoria effecit, ut veteres Scriptores in tradendis Gallorum Ciſalpinorum originibus laborarent, quod vulgo omnes Celtæ exiſtimarentur profecti ex Galliis, quarum pars *Celtica* retinuerat nomen, ut vidimus.

Hinc profecto patet, cur Umbri Gallorum propago dici poſſent, etſi in Italia eſſent ante irruptionem factam ex Galliis: atque illud etiam intelligimus, quid in Latina lingua vocabula tam multa ſint Celtica. Pezronius (1) mille ducenta, & amplius deprehendit, & multo profecto plura emergent, ſi quis hunc ſibi laborem ſumpſerit, ut ea expiſcetur, quod Celticæ linguæ ſtudioſis, non paucis hac ætate, exquirendum relinquo.

Nec vero miror: ex Umbris profecti ſunt *Sabini*, ut tradit Zenodotus Troezenius Umbricæ gentis Hiſtoricus antiquiſſimus apud Dionyſium (2): ex

(1) V. Martinierii Diction. Art. *Celtæ*.
(2) Dionyſ. Alicarn. l. 1.

ex Sabinis vero *Picentes* (1) *Frentani*, *Marrucini*, *Peligni*, *Veſtini*, *Marſi*, *Æqui*, *Hernici*, *Samnites*; ex Samnitibus *Hirpini*, *Lucani*, *Campani*; ex Lucanis denique *Brutii*, quibus certe populis eadem eſſe debuit lingua initio, aut fere eadem, niſi quod decurſu ætatum immutata dialectus fortaſſe, auctaque eſt lingua dictionibus per Græcas colonias invectis. Quamquam ipſa etiam Græca vocibus Celticis abundat non minimum. Ad hæc, quæ Sabinis, atque adeo Umbris Sabinorum progenitoribus, eadem erat lingua & *Oſcis*, & *Volſcis*.

Cum autem pleræque hæ gentes a Romanis receptæ in Urbem fuerint, & Oſci, Sabini, Marſi, Samnites, Brutii civitatem auxerint (2), debuit neceſſario Romanus ſermo Celticis vocibus ditari, advenarum tot Civium communione, & commercio, quorum una eademque erat Celtica origo. Accedit uſus Atellanarum fabularum, quas Oſci agebant, quibuſque Romani ita delectabantur, ut uſque ad Tiberii tempora publice darentur (3), ipſaq. Romana Juventus cum eas condidiciſſet, per ſe ſe ipſa eas in Urbe ageret. Ita in Latina lingua diſpertiri, ac dividi debuit lingua Celtica, quin Græcæ dictiones, quæ Latinam linguam deinde plurimum afflarunt, radices Celticas obruerint.

Atque hæc quidem quantum ad Tranſapenninates

(3) V. Stemma Populorum Italicorum apud Brietium Parall. Geogr. T. 3. p. 515. Cluverii Introd. Geogr. edit. Amſtæl. 1729. p. 211. nota Reiſchii, & p. 336. not. Bunonis.

(2) Dionyſ. Alic. l. 1. ſub fin.

(3) C. Tacitus Annal. l. 4.

nates Umbros ſint ſatis: namque de Umbris inferioribus, ſive Inſubribus, de Coloniis inde aliò tranſmiſſis, de linguæ Celticæ hinc etiam propagatione in alias partes, deque Umbrici nominis inveſtigatione, & ulteriori Umbrorum origine, hæc, inquam, in alteram diſputationem conferam. Eſt enim mihi propoſitum legentes non defatigare, ut ſin minus res, brevitas placeat.

DIS-

DISSERTATIO XI.

DE ORIGINE INSUBRUM.

AD Inſubrum originem penitus evolvendam non minimum adhuc laboris eſt inſumendum. Ab Umbris profectos, immo Umbros ipſoſmet fuiſſe oſtendi hactenus, ſed de Umbris ipſis ſupereſt inveſtigatio, ut ſciamus, cujates eſſent. Omnia, quoad licet, aperiam; atque hæc hujus erunt diſputationis capita. I. Ex Inſubria Celt-Umbri in Tranſpadanas regiones, indeque in Liguriam commigrarunt: vera etymologia Ligurum nominis; cur reperiantur tam late fuſi. II. Ligures prognati erant ab Ambronibus. III. Ambrones, Ambri, Umbrones Umbri idem genus. Oſtenditur quam crebra fuerit vocalium permutatio in nominibus: exempla hac in re. IV. Ex Liguria Umbros tranſiſſe in Gallias, & in Etruriam, conjecturæ. V. Umbri-Ligures, atque adeo Umbri inferiores, ideſt Inſubres profecti ſunt ab Ambris, ſive Ambronibus, qui ſunt Umbri ſuperiores; Ambrones ejuſdem generis fuere ac Sicambri, Sicambri ejuſdem ac Cymbri. VI. Umbrorum ex Cymbris origo ex nomine ipſo & facto confirmatur: Umbri etiam in Britanniam invecti. VII. Quæ ætas nomen Cymbrorum extulerit: horum, & Cimmeriorum gentem unam fuiſſe indicia.

§. I.

§. I.

Ex Inſubria Celt-Umbri in Tranſpadanas regiones, indeque in Liguriam commigrarunt: vera etymologia Ligurum nominis; cur reperiantur tam late fuſi.

LIgures Celticum genus eſſe ita multis Cluverius probat, ut Brietius [1] homo acer affirmare non dubitet, rem eſſe plane evictam; idemque cæteri Geographi ſentiant. Et vero Plinius, ubi de flumine Pado loquitur, [2] hæc: *Metrodorus Sceptius dicit Ligurum lingua Bodincum* [Padum nempe] *vocari, quòd ſignificat Fundo carentem: cui argumento adeſt oppidum juxta Induſtria, vetuſto nomine Bodincomagum, ubi præcipua altitudo incipit.* Eadem fere de Pado Polybius [3]: *Incolis amnis Bodencus appellatur.* Oſtendimus alio loco Liguriam ad Padum uſque antiquitus procurriſſe; igitur eo uſque valuit Ligurum lingua. At vero *Bodim*, ſeu *Bodem*, ut alias dixi, vox eſt Celtica, hodieque etiam lingua Germanica, quam Celticæ dictionibus refertam innuimus ſuperius, Fundus *Bodem* dicitur. Attigimus etiam quod Cluverius maximo numero exemplorum docet; *magus* ſeu *magum* eſſe voces pure Celticas. Itaque & Bodincus, & Bodincomagum produnt Celticam linguam, & genus Ligurum.

Hanc

(1) Briet. Parall. Geogr. T.3. p. 553. Cluv. It. Ant. l.1.c.7.
(2) Plin. l. 3. c. 16. (3) Polyb. l. 3.

Hanc originem confirmant *Mariſci* populi, dicti deinde *Marici*, non multum procul a Pado prope *Lævos* poſiti ad fluvium Tanarum, quorum vel ſolum nomen gentem Celticam probat. Nam, quæ Celtæ terminabant in *iſchon*, ea omnia Græci & Latini fecere in *iſci* & *iſca*; ita *Theutiſci*, *Nariſci*, *Cheriſci* ſeu *Cheruſci* populi in Germania; *Avariſci* & *Scordiſci* in Pannonia; *Tauriſci* gens Alpina; *Vibiſci* in Gallia, *Cariſci* in Hiſpania; qui patria Celtica pronuntiatione debuere dici *Theutiſchon*, *Nariſchon*, *Cheriſchon*, *Avariſchon*, *Scordiſchon*, *Tauriſchon*, *Vibiſchon*, *Cariſchon*; atque adeo *Mariſchon*, nomine a Paludibus, apud quas conſederant, parto [1]. Mariſci porro erant ejuſdem atque Inſubres generis, quibus permixti etiam reperiuntur, pagique etiamnum obtinent in Inſubria eorum nomen, uti alias oſtendi. Hi adjuncti fuerunt denique Lævis, atque una condidere Ticinum.

Ita ex Inſubria proxima miſſis trans Padum Coloniis incoli cœptus tranſpadanus tractus, unaque eo pervenit lingua Celtica, quæ cum gente tranſmiſſa eſt in Liguriam. At Celt-umbris in Liguriam tranſgreſſis, cur Ligurum fuerit nomen inditum, eſt adhuc ignotum. Euſtatius, & Stephanus Ligures nuncupatos (2) volunt a quodam Ligure, quem Tzetzes ait Albionis ejus fratrem, qui Herculi reſtitit vadenti ad Boves Geryonis. Fabulæ; Geryon in Hiſpaniis nunquam regnavit, neque Græcus Hercules, cui hæc adſuuntur, Italiam unquam vidit.

Pau-

(1) Wacther Gloſſar. Germ., & Cluver. Germ. A.l.1.c.6.
(2) Apud Brietium Geogr. Parall. T. 3. p. 553.

Paulus Diaconus (1) factum nomen exiſtimat a Leguminibus legendis; quaſi vero in ſola Liguria aut pubeſcerent, aut colligerentur Legumina. Puto Etymologiam deducendam a natura loci Celtice expreſſa, ut in Mariſcis, aliiſque Celticis populis, qui diverſa nacti ſunt nomina. Originem explorabunt Celticæ linguæ curioſi. Hæc conſcripſeram, cum ab Taurinenſi amico admoneor non falſo me conjeciſſe: vocabulum enim Ligures Celtice valere idem, atque homines *aquæ*, ſeu *maris*, nam *Lly-gour* eſt homo maris. Hinc intelligimus, quid Ligures tam late fuſi reperiantur in Hiſpania, Sicilia, Germania, Pannonia: namq. ut obſervat Palloutierius (2) occurrunt, ubicumque Celtæ fuere etiam in Aſia minori. Cum omnino ſit incredibile hanc gentem profectam eſſe ex Liguria, dicendum eadem de re, qua Ligures Itali, Celtas alibi idem nomen nactos eſſe antiquitus. Hæc debeo Equiti Borello, quem alacre, atque excellens ingenium facile ad maximam in Rep. Litterata famam evexiſſet, niſi Minervam, quod ajunt, Palladi poſthabuiſſet. Namque Patris, Avi, Proavi, Majorum veſtigiis inſiſtens bellicis ſe ſtudiis dedit Sardiniæ Regi militans Centurio Legionis Marinæ, ſubciſiva tempora ad Litteras referens.

§. II.

Ligures prognati erant ab Ambronibus.

SEd lubet originem Ligurum ab Umbris inferioribus, ſive Inſubribus profectam altius evolvere ex

(1) Paul. Diac. Langob. l. 1. c. 16. (2) Pallout. lib. cit. V. etiam Bochat Mem. Crit. ſur l'Hiſt. anc. de Suiſſe tom. 3. Lauſanne 1749.

ex iis, quæ Plutarchus habet in Mario, quæque poſt illum auctores omnes admittunt, nemo tamen explicat, quod ſciam. Conſtiterant in Galliis Ambrones contra Marii caſtra interpoſito tantum flumine, cum die quadam ſive ut terroris imaginem inferrent Romanis, ſive ut ſe ſe ipſi mutuo cohortarentur, & ferocitate illa exſuſcitarent ſpiritus, exultantes, armaque in numerum quatientes nomen ſuum *Ambrones* inclamarunt. Ligures, qui primi ex omni Mariano exercitu præſidia habebant propius hoſtes, eorum vociferatione accepta ipſi quoque mutuo *Ambrones* conclamarunt; *id enim nomen*, ait Plutarchus, *ſibi originis ſuæ*, *& Gentis ratione Ligures vindicant:* ubi obſervo Hiſtoricum de hac Ligurum origine loqui veluti de re, quæ ejus ætate eſſet notiſſima, videlicet Ligures Ambronum genus eſſe, atque ita de ſe ſe ipſos exiſtimaſſe. Certe antiquum Ligurum nomen fuiſſe *Ambrones* nemo Geographorum dubitat; at quommodo illuc Ambrones pervenerint, nemo quærit. Neque enim facile explicari poteſt, uti ex Helvetia, ubi Pagum unum, latis admodum finibus explicatum, conficiebant, tranſgredi, & ſubſidere in Liguria potuerint.

At quo iſthæc tandem? ſint utlibet Ambronum genus Ligures, quid hæc ad communem Ligurum cum Inſubribus ſanguinem? Si qui ita interpellant, bona pace paululum adhuc ſuſtineant, rogo. Plus enim multo hæc ad communionem originis pertinent, quam videri poſſit ſtatim. Sed ita eſt, ut *Ambri* & *Ambrones* ab Umbris & Umbronibus non differant: uti ſe habeat res expedio.

§. III.

§. III.

Ambrones, Ambri, Umbrones Umbri idem genus. Oſtenditur quam crebra fuerit vocalium permutatio in nominibus: exempla hac in re.

IN nominibus, vocalium minus habenda ratio; ſed conſonantes præcipue ſpectandæ, quæ nunquam, aut perraro, aut vix in affinis moduli conſonas permutatæ ſunt, uti *T* in *D*, *P* in *B*, *C* Germanice elatum in *T*, præeunte vocali *I*, aut in *Z*, & vice verſa; quæ quidem immutationes celeriter in oculos veniunt, & dignoſcuntur. Itaque conſonantes ſemper verborum radix ſunt habitæ, neque ſolum in Orientis linguis quarum nonnullæ, aut vocalibus caruere, aut iis ad ſcribendum non ſemper ſunt uſæ; ſed etiam in linguis cæteris, propter miram incredibilemque facilitatem, qua vocales extruſerunt ſe ſe mutuo in iiſdem vocibus, ſive ætatum, ſive gentium ſibi viciſſim ſuccedentium, ſive dialectorum, ſive populari quoquo alio demum arbitrio.

Omnino pronunciatio in eadem lingua, & gente pluries eſt variata; varietas autem plerumque unice in vocalibus extitit, quippe cum canoræ ſint, ſolæque aptæ ad dandos modulos verbis, vocem & plenius hauriunt, & ita fundunt, ut veluti repagulis detineatur, & temperetur muto conſonantium, obtuſoque ſoni ſenſu potius, quam ſono. Si enim *S* & *Z* excipias, in ſe ſe reliquæ non ſonant demptis vocalibus. Itaque accidit, ut vocales prout

prout exilius aut pinguius, aut acutius, aut lenius, aut obſcurius, aut clarius prolatæ fuerint, facile ex proprio emigrent ſono, & in alienum commigrent, eaque de re aliæ in aliarum ſedes concedant. Neſcio, an quod volo, ita dixerim, ut plane intelligant omnes: rem clarius ſubjecta omnium vocalium exempla aperient. Ea ſumo ex lingua latina; æqualia præſto ſunt non minus in græca, quam in aliis linguis.

I & *U* ab antiquis varie pronunciatum fuit & ſcriptum, uti *Mancupium*, *Aucupium*, *Manubiæ*, quæ Cæſar vocabula per *I* extulit. Marius Victorinus (1) *ſunt*, inquit, *qui inter U & I litteram ſupputant deeſſe, quæ pinguius quam I, exilius quam U ſonet; ſed pace eorum dixerim, non vident Y litteram deſiderari: ſic enim gylam, myſerum, ſyllabam, proxymum dicebant antiqui; ſed nunc conſuetudo paucorum hominum ita loquentium evanuit.* Annæus Cornutus: *Lacrumæ an lacrymæ, maxumus an maximus, & ſi quæ ſimilia ſunt, ſcribi debeat, quæſitum eſt. Terentius Varro tradidit Cæſarem per I ejuſmodi verba ſolitum eſſe enunciare: inde propter auctoritatem tanti viri conſuetudinem factam. Sed ego in antiquiorum multo libris, quam C. Cæſar eſt, per U pleraque ſcripta invenio, Optumus, intumus, pulcherrumus, lubido, dicundum, faciundum, maxume, monumentum, contumelia, minumum. Melius tamen eſt ad enunciandum & ad ſcribendum I litteram pro V proponere, in quod jam conſuetudo inclinavit.*

E pro *I* pronunciatum tradit Quintilianus (2) & di-

(1) Mar. Victor. l. 1. Ap. Caſſiod. in Collect. de Orthogr.
(2) Quintil. l. 1. c. 4.

dixiſſe veteres *Menerva*, *Leber*, *Mageſter*; atque *here* pro *heri*, *mane* pro *mani*. Varro (1) autem docet ruſticos *veam* & *vellam* uſurpaſſe pro *via* & *Villa*.

O & *U* litteræ ſimiliter permutatæ ſunt invicem: Quintilianus (2) *quid O & U permutatæ invicem, ut Hecoba, & Notrix, Culchides & Pulixena ſcriberentur? ac ne in Græcis id tantum notetur, dederont & probaveront*. Ita etiam Feſtus obſervat dictum fuiſſe *quatenos* pro *quatenus*. Huc etiam pertinent *Conſol*, *præſlu*, *præſlulor*, *Colpa*, *humo* pro *homo*, *fretu* pro *freto*, *Acherunte*, *voltis*, *popolos* pro *populus*, *Omber* pro *Umber*: & Auguſtus idem conſuevit, cum ſcriberet in genitivo *hujus domos meæ*, (3) *non domus* dicere.

A & *O* viciſſim etiam adhibitæ; ita *Forreum*, quod deinde fuit *Farreum &c.* ſed de hiſce conſulendi J. Lipſius (4), Celſ. Cittadinus (5) G. Voſſius (6) præter antiquos Grammaticos, ex quibus intelligimus pronunciationem tantas intuliſſe permutationes vocalium, ut eademmet vocabula diſtingui non poſſent [uſque adeo vocalium ſono fuere a ſe ipſis deformata], niſi ſtabilis conſonantium modus ac forma, radix veluti & fundamentum vocem eandem ſuſtinuiſſet. Quæ antiquitus, eadem poſterioribus ætatibus atque hac ipſa, quam vivimus, vitiandarum vocalium libido fuit, eamque perpetuo alet ingeniorum & temporum inconſtantia. Pronunciatio enim,

(1) Terent. Varr. de R. R. l. 1. c. 1.
(2) Quintil. ibid. (3) Ap. Victorinum loc. cit.
(4) J. Lipſ. de Pronunciat.
(5) Celſus Cittadinus Orig. vulg. linguæ.
(6) Gherardus Voſſ. de Arte Grammatica.

enim, & *Ortographia* (1) *quoque conſuetudini ſervit*. Sed mittamus aliquando hæc grammatica, de quibus plus etiam nimio.

Jam vero, ut ad propoſitum redeamus, non eſt mirum ex Ombris & Ombronibus extitiſſe *Umbros Ambros Imbros Umbrones Ambrones:* Diſparilis unius vocalis occurſus vocabuli ſpeciem non vertit: radix immutata eſt nuſquam, conſonantes numquam non eædem fuere. Par, & ſimile quidpiam in aliis populorum nominibus habemus. Exemplo ſint *Gothi*, aliter etiam nominati *Gotti*, *Gutti*, *Guthæ*, *Gotones*, *Gutones*, *Guttones*, *Gythones* (2). Pariter (3) *Vandali* vocantur *Vandalii*, *Vandeli*, *Vandili*, *Vandoli*, *Vanduli*, *Vindeli*, *Vindili*, *Vinduli*, *Vinuli*. Idem in Inſubribus vidimus, quos *Iſombres*, *Inſombres*, *Inſumbres*, *Inſubres*, aliqui etiam *Inſobares* dixerunt, & *Sumbrios* æque ac *Symbrios*. Hæc probant nos ignorare, quæ veterum eſſet pronunciatio, quæve vocalium vis. Igitur in Ambronibus *O* in *A* debuit tranſiſſe aut dialecti, aut pronunciationis vitio. *O* enim littera latiore ore effuſa potuit pro *A* ſumi: noſtra etiam ætate, ſi attendas, facile, & apud omnes gentes ſimilia reperies. Fortaſſe etiam permutationem intulit Scriptorum, aut Librariorum error, quorum culpa hujuſmodi menda crebro intercidunt: ita *Ombronem* in Etruria [*Monte S. Quirico*] alii *Ambronem* legunt, ut obſervat Ortelius. Sed ſive vitio, ſive ex Dialecto hæc vocalium tranſlatio fuerit, verborumq. inverſio, ſic habet, ut apud nos

(1) Quintilian. l. 1. c. 8.
(2) Cluverius Germ. Ant. l. 3, c. 34.
(3) Id. ibid. c. 46.

nos etiam *Amber* pro *Umber* ſit habitus. Argumentum duco ex noſtrate fluvio, quem alii (1) *Lambrum*, alii (2) *Ambrum*, alii *Ombrum Ombronem*, & *Umbrum Umbronem* vocitant; quin vocalium diſcrimen fluvium tranſmutet. De hiſce in præſens ſit ſatis, quæ profecto rem per ſeſe evincunt, nec dubito, ne, quæ ſuperſunt dicenda, plurimam etiam lucem non ſint allatura.

§. IV.

Ex Liguria Umbros tranſiſſe in Gallias, & in Etruriam, conjecturæ.

IN Liguriam igitur ita, uti diximus, illati ſunt Umbri facili ex finitimis Inſubribus tranſitu, neque ibi tantum conſtitiſſe, ſed maris littus legendo proceſſiſſe ulterius videntur ad Occidentem ſolem, & Orientem. Quoad Occidentem conjecturam capio ex Ombraticis in Gallia Narbonenſi, qui fortaſſe incolæ fuere ejus pagi, quem memorat Livius, cujus ſimilitudo nominis cum Umbrorum inferiorum, & Pagi Sumbrii nomine, veriſimilius fecit, ut Galli Tarquinianæ ætatis adamarent Inſubriam, & Mediolanum conderent. Certe alius Pagus in illis finibus, ni fallor, non reperitur, de quo dici poſſit cognominem fuiſſe Agro Inſubrum, quæ cauſa Mediolani condendi fuit. Ut ut eſt tamen, hoc conſtat ex Geographis Ligures latiſſime procurriſſe trans flu-

(1) Plin. l. 3. c. 16.
(2) Tabula Peutingeriana.

fluvium Varum, plurimumque (1) utramque gentem linguæ, morum, religionum communione junctam fuiſſe; deinde vero etiam Gallicas Liguribus colonias fuiſſe intermixtas.

Ad Orientem autem ſolem Umbros-ligures progreſſos fuiſſe longius uſque ad Arnum fluvium, & uſque Piſas documento eſt Liguria eo uſque protenſa. *Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent*, ait Juſtinus (2): Polybius vero (3) *initium Apennini ſupra Maſſiliam, & qua Alpibus jungitur, Ligures habent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem ad Piſam uſque.* Fortaſſe etiam primæ Umbrorum Coloniæ ab Umbris Liguribus tranſmiſſæ ſunt in eam regionem, quæ deinde Etruria fuit nuncupata; atque illæ auctæ ſubinde fuerunt aliarum numero illuc diverſo itinere contendentium. Ut ſuſpicer facit Licofron in Caſſandra ſuperius allatus, & Dionyſius, quem poſt paucula afferam: uterque enim confines Umbris Ligures exhibent. Immo & ipſi fortaſſe Aborigines manus Ligurum fuerunt.

Conjecturas, aut ſuſpiciones potius moveo; quid enim afferri aliud poteſt de primis illis ætatibus, quas ne ipſi quidem veteres Hiſtorici explicarunt, quaſque vera confictis, ficta veris commiſcendo occuluerunt? Sed me movet popularis quædam fama, cui aliquoties non minus quam Scriptoribus habenda eſt fides in Hiſtoriis gentium. Fama, inquam, moveor, quæ apud plures invaluerat Aborigines

(1) V. Cluver. It. Ant. l. 1. c. 6.
(2) Juſtin. l. 20.
(3) Polyb. l. 2.

gines eſſe Coloniam Ligurum. Non me præterit a Dionyſio Alicarnaſſæo hanc ſententiam in fabulas rejici (1): *Alii Ligurum Colonos Aborigines fabulantur Umbris confinium*. Hanc tamen originem paulo poſt non omnino commentitiam (2) videtur exiſtimare; namque eam ſic commemorat, ut neque deſpiciat, neque in fabulis habeat.

Illud etiam non minimi faciendum puto, quod Servius (3) de Piſarum origine diſputat. Etenim *alii*, inquit, *Piſum Celtarum Regem fuiſſe Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum geſtaſſe, a quorum Regina, quæ poſt Conjugis mortem imperio ſucceſſerat, receptum in Etruria oppidum ſuo nomine condidiſſe. Cato originum, qui Piſas tenuerunt ante adventum Etruſcorum negat ſibi compertum, ſed inveniri Tarchontem Tyrrheno oriundum Piſas condidiſſe, cum ante regionem eandem Teutones quidam græce loquentes poſſederint. Alii Incolas ejus Oppidi Teutas fuiſſe, & ipſum oppidum Teutam nominatum, quod poſtea Piſas Lydi lingua ſua lunarem portum ſignificare dixerunt*. Tametſi hæc Servii verba nihil de Piſarum origine ſtatuant, tamen illa Celtarum, Teutonum, Teutarumq. vocabula Celtica declarant genus Ligurum, qui primi Piſas habuerunt: neque mirum Græcam linguam habitam eam, qua primi illi ante Tarchontem incolæ utebantur. Potuit enim ita videri ob plurimas voces Celticas, quæ antiquæ Græcæ linguæ erant permixtæ. Plane tamen hinc etiam deducitur Celticas Umbrorum-ligurum Colonias

(1) Dionyſ. Halic. Sylburgii edit. Lipſ. 1691. p. 9.
(2) Id. p. 11.
(3) Serv. ad l. X. Æneid..

nias longius excurriſſe, ut non mirum videri debeat, ſi aliqui ulterius trans Tiberim procurrerint, ex iiſque & aliis errantium globis deinde creverit gens Aberriginum, quos in Romanorum gratiam deinde Aborigines dixerunt, ut Latini ſanguinis, & Domini gentium Populi auctores, Indigenæ Italiæ haberentur. Hoc certum, Aborigines Umbris multo poſteriores fuiſſe, & *primas ſedes* [in Reatino agro] *pulſis inde Umbris habitaſſe* (1) teſte Dionyſio.

§. V.

Umbri-Ligures, atque adeo Umbri inferiores, ideſt Inſubres profecti ſunt ab Ambris, ſive Ambronibus, qui ſunt Umbri ſuperiores; Ambrones ejuſdem generis fuere ac Sicambri, Sicambri ejuſdem ac Cimbri.

SEd ut illuc, unde digreſſi ſumus, redeamus, ſic cenſeo Umbrones, ſive Ambrones Ligures ab Umbris Mariſcis, hos ab Umbris inferioribus ſive Inſubribus, Inſubres vero ab Umbris ſuperioribus, ſive Ambronibus profectos, qui initio obtinebant partem Friburgenſis, Lucernenſis, Bernenſis, & Undervaldenſis, ut vocant, Regionis in Helvetia; atq. eorum etiam juris erant alpes, valleſque Rhætiæ proxime Inſubriam contingentes: nondum enim ea ætate, quam loquimur, Rhætica adhuc gens erat, quæ tum ſolum extitit, cum Galli in Italiam irrum-

(1) Dion. l. 1.

rumpentes eripuere Tyrrhenis Ciſpadanas regiones, ubi etiam illi pulſis, aut oppreſſis Umbris dominabantur. Quo amiſſo imperio in Alpes refugerunt ſecuti Rhætum ducem, a quo ipſi, Monteſque illi nomen habuere, ut omnes tradunt Hiſtorici. Unde vero Ambrones prodierint, non eſt difficile reperire modo eorum ſectemur per Germaniam veſtigia. *Ambrum* aut *Ambram*, aut *Ambronem*, aut, ut aliqui, *Ombronem* fluvium [*Emmer*] invenimus in Vindelicia; & *Sigambros*, [qui etiam a Græcis *Sugambri*, a Latinis *Sicambri* appellantur] vocatos a *Sigo* fluvio [*Sigen* & *Siegen*], quaſi *Ambri ad fluvium Sigum*: namque ſecundùm hunc fluvium confederant, & Iſthævoniam occupabant. Eorum autem juris erant Veſtfaliæ magna pars inter Luppiam amnem & Haſſiæ fines porrecta, Comitatus Marchiæ, Ducatus Bergenſis, & Clivienſis pars. At *Ambri Sigenſes*, ex quibus eſſent, innuit Plinius, [1] qui nationes Rheno proximas enumerans, ubi alii Sicambros collocant, ipſe Cymbros mediterraneos nominat: *Iſthævones, quorum pars Cymbri mediterranei: Hermiones &c.*

Cluverio [2] hi Cymbri mediterranei crucem figunt, itaque eos repellit in ſuam peninſulam: Harduinus autem pati non poteſt huc a Plinio obtrudi Cymbros, & corrigendam ſententiam [3] ſtatuit in hunc modum: *proximi autem Rheno Iſthævones, quorum pars Sicambri: Mediterranei Hermiones*

(1) Plin. l. 4. c. 14.
(2) Cluver. Germ. Ant. l. 3. p. 209.
(3) Harduin. in Plinium loc. cit. V. Emendationes & notas num. CV.

nes &c. At omnium voluminum una eademque eſt lectio, neque ante Harduinum quiſquam aliter legerat. Viri hi, docti profecto mireque acuti, non conqueſti fuiſſent Cymbros ſede ſua amotos, & Sicambros præteritos, ſi Sicambrorum nomen paulo acrius perſcrutati fuiſſent. Et ſane miror Cluverio, qui in Sigambrorum vocabulo fatetur particulam *Sig* enatam a Sigo [1] fluvio fuiſſe, ſuſpicionem nullam fuiſſe exortam, an & nomen & genus idem horumce Ambrorum & Cymbrorum eſſet: omnino Plinius Sicambrorum loco Cymbros ſtatuit in Iſthævonia, ut vidimus: igitur Ambri ad Sigum iidem erant ac Cymbri: igitur Cymbri, quos legimus antiquiore fortaſſe vocabulo etiam *Ymbros* appellatos, & C poſtea adjecto ſive pronuntiationis, ſive dialecti cauſa, vocatos quoque *Cymbros*, *Cumbros*, *Cambros*; Cymbri, inquam, ſunt auctores Ambronum & Umbronum, ſeu Umbrorum. Ratio autem cur, Celtæ cum eſſent, peculiare hoc ſibi nomen ſumpſerint, ex nomine ipſo, & facto eſt educenda.

§. VI.

Umbrorum ex Cymbris origo nomine ipſo & facto confirmatur: Umbri etiam in Britanniam invecti.

Umbrorum enim nomen idem valet, atque *tempeſtati aquarum diluvieique ſuperſtites:* ita Plinius

(1) Cluer. Germ. Ant. l. 3. p. 32. Briet. T. 2. p. 11., & 95.

nius jam allatus [1]: *Umbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, ut quos Ombrios a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent:* Etymologia eſt ab omnibus recepta. Hæc græca eſt ſignificatio *Umbrorum* vocis; hæc ejuſdem vis eſt Celtica; hæc denique Hebraica, ex cujus linguæ radice [2] ducta vocabula *Umber*, *Gamber*, *Kymber* deſignant populos aquoſæ cladi ſuperſtites.

Initio cum viderem ubique in Europa, & Aſia diſſeminatum latius Umbricorum nomen, ſuſpicabar excuſum a Noemicæ propaginis Coloniis ad conſignandam poſteris eluvionis communis memoriam, cui ſuperſtites earum fuerant majores. Suſpicio potuit epiſtolæ tradi, ut tum feci: poſtmodum attentius exploratis omnibus, exundationibuſq. animadverſis oceani Germanici, quibus maxima pars abſorpta fuit ejus continentis, ubi magnæ Celticæ gentes conſtiterant, intellexi ex hiſce eluvionibus, quibus Celtarum multitudo pulſa eſt ſuis ſedibus, *Umbrici* nominis & *Ymbrici*, & *Cymbrici* originem extitiſſe, ut quemadmodum alia Celtici generis pars tranſgreſſa Rhenum, aut in alias partes didita *Gallorum* nomen retulit, ideſt *peregrinantium*, ita & hi propulſi eluvionibus maris, quibus terra aut exhauſta, aut in Inſulas innumeras fuerat diſtincta, a re ipſa Celtice nomen *Cymbrorum* aut *Umbrorum* habuerint, *ſuperſtitum* ſcilicet *diluviei*.

Hinc patet, uti Umbricum potuerit vocabulum

(1) V. etiam Volf. Lazium de Migr. Gent., ubi de Cymbris ad Sigum fl. bene multa libr. 3. p. 82. &c.
(2) Lazius ib. l. 1. p. 22.

lum latiſſime peregrinari. Cymbri enim, ut populoſa erat natio quotidie ſuccreſcens, & perſtricta perpetuo, atque perculſa maris æſtu, longiſſime in Scythiam, remotioreſque partes Aſiæ effuſi ſunt peregre. Tum primum ab iis veriſimilius *Gallorum* etiam, aut, ut Græci, *Galatarum* nomen invectum eſt in Aſiam una cum *Umbrorum* nomine, quod uno plus loco legimus in iis partibus diutiſſime manſiſſe. At alii in latam Germaniam injecere ſe, alpeſque inſederunt Italiæ propinquas, Helvetias ſcilicet, ubiq. *Ombronum* aut *Ambronum* nomen diſpergentes, & ab iis fortaſſe etiam nati ſunt *Suitii* [*Cantone di Schuvis*], qui a Cymbris oriundos ſe putabant [1]: inde effudere ſe in Inſubriam, & ciſpadanas regiones. Alii denique diverſis itineribus traſfretarunt in Britanniam, ubi veſtigia non dubia ſuperſunt Umbrorum, ſive Cymbrorum adventus. Namque eò pervenerunt non poſterioribus ſolum ſæculis ſub Valentiniano Juniore, cum in Britanniam evocati fuere a Vortigerne Rege una cum Anglis, & Saxonibus; ſed longe, multoque antiquius. Indicium grave eſt vox *Cambria*, qua traditur appellata priſce Britannia; præterea *Humber* fluvius, ita nominatus hodieque: accedit regio, cui adhæſit Northumberlandiæ nomen, quod eſt *Regio Umbrorum ad ſeptemtrionem*: & *Cumberlandia*, quaſi regio [id enim ſignificat particula *Land*] Cumbrorum, aut Cym-

(1) Guillimanus de Rebus Helvetiorum l. 3. c. 2. ap. Lindenbrogium: & Brietius Parall. T. 2. p. 46.

Cymbrorum: *Y* enim ut vidimus medium quemdam ſonum habuit inter *U* & *I*, quare in utramque formam potuit inflecti. Porro hæc nomina deferri in Britanniam non potuere Valentiniani ætate, namque tum omnino nomen defecerat Cymbrorum, qui in nomen *Jutarum* jam migrarant, cur neſcio, aut certe non eſt neceſſe dicere. Hoc etiam placet adjungere ad rem confirmandam, Linguam Britannicam eandem fuiſſe ac Celticam, ſeu Gallicam veterem, ut tradit Tacitus [1], probat Brietius [2], & indicat vetus Inſulæ nomen celticum [3] *Albion*. Sed hæc a doctis viris audio jam fuiſſe illuſtrata, neque vero Britanni, non minus animi ac mentis, quam ingenii vi virtuteque præcellentes, noſtris magnopere ſtudiis egent ad Generis, Gentiſque ſuæ laudem. Hæc tamen ipſa ſunt ejuſmodi, ut unam Umbrorum, Cymbrorumque originem vindicent.

§. VII.

Quæ ætas nomen Cymbrorum extulerit: horum, & Cimmeriorum gentem unam fuiſſe indicia.

RElìquum eſt, ut de ætate quæramus, qua Celtæ Oceani accolæ nomen Cymbrorum ſortiti ſunt, quæ profecto eadem eſſe debuit, qua pulſi Ocea-

(1) Tacit. V. Jul. Agric.
(2) Briet. Parall. Geogr. T. 1. p. 172.
(3) Vide Martinierii Dict. Art. *Albion.*, *Alb.*, & *Bretagne* (*la Grand.*)

Oceani cladibus in externas plagas refugerunt. Eorum notiſſima hiſtoriis eſt migratio, cum exundante Oceano (1) ex Germania in Gallias, Helvetiamq. irruperunt, ut in Italiam tranſgrederentur; quo tempore a Mario cum Teutonis & Ambronibus, & Tigurinis, quos ſibi adjunxerant, cæſi fuerunt primum ad Aquas Sextias in Gallia Narbonenſi, tum in Campo Rhaudio Agri Novarienſis Anno U. C. 652.

Sed multo etiam antea Oceani eluviones, migrationeſque adeo Cymbrorum, extiterant. Circa Alexandri tempora permagnas fuiſſe ità, ut vulgata earum cladium fuerit fama apud exteras gentes, innuit Ariſtoteles (2) ſcribens: *Quemadmodum ſi Celtæ ſumptis armis occurrant fluctibus*; quæ loquendi ratio deſignat familiares ea ætate ejuſcemodi exundationes fuiſſe. Hoc moti indicio nonnulli putant, ex illo Cymbros erraſſe Annos ducentos & quadraginta, donec in Italiam irruptione facta deleti ſunt. Hinc de Mario non minus, quam de Cymbris magnifice Quintilianus (3): *Gens majorem terrarum partem victoriis peragrata tantum in Mario ſtetit*: & Plutarchus in Mario de Cymbrorum origine diſputans, *maxime*, inquit, *conjectura erat Germanorum eſſe nationes eorum, qui ad Septemptrionalem Oceanum pertinent.. Hos non uno omnes impetu, neque continenter, ſed quotannis verno tempore ſedibus ſuis exire, atque ſemper ad ulteriora progredi: hoc modo per multum tempus illos per continentem vagatos.*

Hæc ex antiquis Scriptoribus habemus de migra-

(1) L. Flor. l. 3. c. 3. (2) Ariſtot. Eudem. l. 3. c. 1.
(3) Quintil. Decl. 3.

grationibus hujuſce gentis ſub Cymbrorum nomine. Sed anteriores aliæ bene multæ jam fuerant. Strabo enim de Cymbris (1) *Poſidonius*, inquit, *non inepta conjectura colligit Cymbros homines fuiſſe... ad Mæotin uſque lacum progreſſos, & fuiſſe ab iis Cimmerium Boſphorum denominatum, quaſi Cymbricum; cum Græci Cymbros Cimmeriorum nomine afficiant*.

Et vero Cimmerios gentem fuiſſe ex Germania profectam deducitur etiam ex iis, quæ, licet fabulis mixta, narrat Homerus; Cimmerios ſcilicet cum Amazonibus Trojæ ſubſidio fuiſſe. Celtæ enim Mazónas (2) appellabant, ideſt *Viragines*, quas Græci Amazonas dixere; erant autem fœminæ Cymbrorum. Etenim in populis Septemtrionalibus fœminæ viros comitabantur ad bellum, & peræque fere depugnabant iiſdem, quibus viri, armis. Itaque conſtanter ab Homero ſecures Amazonibus tribuuntur, quo armorum genere primi omnium uſi ſunt Septemtrionales populi [3]. Hæc aliaque faciunt, ut multi, atque in his Harduinus [4] Pezronius, aliique cenſeant Cymbros ex Cimmeriis ortos. De uno utriuſque gentis genere conſentio, ſed hac de re ab illis diſſentio, quod ego a Cymbris Cimmerios profectos puto, non ab his illos; niſi placeat dicere gentem unam eandemque fuiſſe, quod veriſimilius. Sed hæc iſthuc non pertinent: de Cimmeriis iis eſt ſermo, qui circa Paludem Mœotidem, & Boſphorum habitabant; non de aliis, qui in Campa-

nia

(1) Strab. l. 7. (2) Aventinus l. 1. c. 7. n. 5. & ſeqq.
(3) V. Dacieriam in Iliad. l. 13. nota ad pag. 214., & lib. 3. not. ad p. 234. edit. Pariſ. 1741. in 12.
(4) Harduinus in Plin. l. 6. c. 13.

nia apud Bajas ſubterranei traduntur Incolæ fuiſſe, unde exorta fabula de Cimmeriis tenebris, quæ a nonnullis hiſtoricis ad Cimmerios Boſphori translatæ ſunt.

Cum igitur a Græcis Cymbri Cimmeriorum nomine afficerentur, ſequitur, ut, quæ de Cimmeriis Græci narrant, neque niſi ab Græcis Latini didicere, ea ad Cymbros ſpectent. Hujuſmodi autem ſunt eorum procurſiones in Aſiam latiſſime, & ante J. C. anno 698. [1] cum Midas Rex Phrygiæ tauri epoto ſanguine extinctus eſt, & multo antea regnante Saule, cujus regnum deſiit ante J. C. anno 2980., quæ migrationes excurſioneſque Cymbrorum commemorantur ab Herodoto, Strabone, & Euſeſebio [2]. Sed quis putet ante Saulis ætatem nullas alias Cimmeriorum ſeu Cymbrorum migrationes fuiſſe, nullaſque alias oceani Germanici eluviones? Mihi immo videntur multo plures aliæ debuiſſe eſſe. Terrarum enim moles Noemico diluvio fatiſcens, ſuſdeque verſa, & convulſa ſuis ſedibus non uno alteroque ſæculo potuit tuto conſiſtere; aliquot ætatum labos hic debuit eſſe ſic, ut montes alii reſiderent, alii emergerent, & maris vaſtitas alibi terras deglutiret, alibi effunderet, donec juſto momento ubique librata tandem hæc aſpectabilium rerum univerſitas, compacta coagmentataque conquieſceret. Certe Padi, Ticini, Abduæ, [ut domeſtico utar exemplo] exundationes, quæ priſcis temporibus magnam Inſubriæ, finitimarumque regionum partem obtexerant, tamdiu perniciem, quam

(1) Strabo l. 1. Herod. l. 1. & 4.
(2) Euſebius in Chron.

quam attulerant, reliquere, ut licet Romani perductis foſſis aquæ reſtagnantis magnitudinem exhaurire ſtuduerint, tamen etiam ſex abhinc ſæculis paludibus obſita magnam partem regio eſſet, & decimo quinto ſæculo magna paſſim veſtigia lacuum viderentur ubique in tractu Laudenſi. Quid de illa tandem horribili clade orbis terrarum exiſtimabimus, cum cælo, mari, ventorum, & ſubterranearum aquarum vi funditus ſubverſa, obruta, conquaſſataque omnia jacuerunt? Dum igitur paulatim hæc terrarum compago coaleſceret, ſe ſeque hoc, quo eſt ordine, componeret, magnæ debuere ad plures ætates terræ concuſſiones per intervalla temporum, & regionum exiſtere, & juſto conſenſu magnæ marium eluviones, æſtuſque efferveſcere: efferbuiſſeque plurimum Septemtrionalem Oceanum indicio ſunt majores minoreſque Inſulæ magno numero omnem illam plagam ſubtexentes, quam incolebant Celtæ-Cymbri; aliæ quidem mediocri freto diſtinctæ, aliæ autem ſe ſe prope contingentes, omnes continenti ereptæ. Quamobrem cum Aſchenazis Familia, quæ ex Aſia proceſſerat, poſt aliquot ætates ſobole, & propagatione aucta in Septemtrionalibus regionibus ſtationem fixiſſet, qui fines Oceano propiores habebant, fluctibus quotidie terras perſtringentibus, debuere ſedes alias cogitare, & continuo migrationes in mediterranea loca inſtituere uſque a primis ætatibus.

Et vero ita fuiſſe ex iis, quæ diximus, argumentum duco. Umbri enim, quos non aliunde ortos oſtendi, quam ex Celto-Cymbris, quique adeo Cymbri ipſimet erant; Umbri, inquam, Italiam

opti-

obtinebant ante Aboriginum adventum: Aborigines enim Arcadici generis natio pervenere in Italiam, uti probat Dionyſius Alicarnaſſæus (1), duce Œnotro decem & ſeptem ætates, priuſquam debellatum eſt ad Trojam, annos ſcilicet mille ſexcentos quadraginta ante J. C., ſi ætates ſumantur in ſenſu Dionyſii, qui eas ſpatio annorum viginti & ſeptem circumſcribit (2); ſin autem numerentur juxta Herodotum (3), qui ſingulis ætatibus tribuit annos triginta tres, & menſes quatuor, ita ut quatuor ætates ſæculum expleant, Aborigines cum Œnotro in Italiam appulerunt A. ante J. C. MDCCL. Atqui ante aliquot ſæcula Umbri conſederant in Italia, Colonias late in ea deduxerant, Oppida Civitateſque plures conſtituerant, quod profecto non eſt unius alteriuſq. ætatis negotium; igitur antiquiſſime, & tempore remoto non multum a primis poſt eluvionem Noemicam ætatibus Cymbricum enatum fuerat nomen ex eluvionibus Oceani, quæ eos finibus ſuis patriis propulerunt. Id etiam ſupereſſet, ut in ipſum nomen *Celtarum*, quod primum & commune gentis fuit, inquireremus; ſed conſulendus Cluverius (4), qui ſuſpicatur Celtam Celtarum Auctorem ab aliquo Scriptore memoratum, ipſum eſſe Aſchenazem, ita ut lingua Celtica, *Aſchenazes* & *Celta* eſſent Synonima.

Itaque, ut huic etiam quæſtioni finem faciam, Ombri, Umbri, Ambri, Ymbri, Cymbri, Cumbri, Cambri, Ambrones, Ombrones, Umbrones una ſunt, ea-

(1) Dionyſ. l. 1. p. 9. (2) Sylburgius in Dionyſium Alic. nota 120. (3) Herod. l. 2.
(4) Cluver. Germ. Ant. l. 1. c. 9.

eademque natio Celtica, nomen ſortita, quod aquoſæ cladi ſuperfuerit, ex eaque terra profecta, quæ deinde Cymbrica Cherſoneſus fuit appellata. Hi per Alpes Helvetiorum; Rhætorumq. in Ciſpadanos & Ticinates tractus deſcenderunt: inde Apennino ſuperato in ulteriorem Italiam tranſgreſſi eam coloniis ſuis complerunt. Ex illo nobis eſt nomen Inſubribus, per ſe ſemet prodens antiquiſſimam præ cæteris Italiæ populis, aut certe ſecundam nemini Gentis noſtræ originem.

Jamvero omnium rerum, quas in aperienda Inſubrum origine diſputavimus, ſit Anacephalæoſis.

Sumbrium, oppidum Inſubriæ antiquiſſimum, Inſubrum innuit originem, quam nemo veterum uſpiam tradidit. Priſce *Iſombri* hi Populi appellati, quod nomen *Umbros inferiores* ſignificat; igitur Inſubres ſunt ex Umbris orti. At Umbri fuere ex primis Italiæ incolis, qui in Italiam advenientes in Inſubria primitus conſedere, & locis fluviiſque nomina dedere, quæ poſtmodum in Etruriam, Umbriamque tranſgreſſa ſunt. Umbri autem erant Celtæ, hinc in Italiam comportata lingua Celtica, atque etiam in latinam linguam tranſmiſſa. At vero ex Inſubria tranſcenderunt Umbri in Tranſpadanas regiones, atque in Liguriam, cui nomen Celticum fecere ex loci natura. Conjectura eſt autem ex Liguria Umbros in propinquas Galliæ regiones, & in Etruriam procurriſſe uſque ad Tiberim, atque ex illis ortos Aborigines. Ligures hanc ſuam ex Umbris originem diutiſſime retinuerunt, ſe ſeq. *Ambrones* cum nominabant, unde eſſent deſignabant: *Umbri* enim, *Umbrones*, *Ambri*,

Am-

Ambrones unius, ejuſdemque generis fuere cum *Cymbris*, nominis diverſitate ex dialectis facta; ſignificat autem eluvioni aquarum ſuperſtites (1): quo eluvio-

(1) Poſtquam hæc ſcripſeram incidi in Diſſertationem doctiſſimi Frereti, quæ eſt de antiqua Hiſtoria Populorum Italiæ, & memoratur volumine XVIII. Hiſtoriæ Academicæ Inſcriptionum Pariſienſium, cujus mihi copiam fecit Comes Hieronymus Caſatus lumen alterum hujus Patriæ, tanta in illo gravitas ac prudentia, integritas & moderatio, ingenium atque doctrina. Freretus igitur ubi de Coloniis Celticis diſputat, hæc habet *pag.* 83. *la partie de ces* Ombri, *qui s'etoit fixée au Nord du Po, s'y maintint, & garda toûjours ſon ancien nom. Les E'crivains Romains les nomment* Inſubres: *mais Polybe les appelle* Iſombri, *& ce nom purement Gaulois, ſignifie les* Ombri *inférieurs. Ces* Inſubres *occupoient le Milanois & les contrées voiſines: leur Capitale étoit* Mediolanum, *nom commun à pluſieurs villes de la Gaule, & de l'Ile Britannique. Celui d'* Ombri *ou d'* Ambri, *qui d'abord avoit été le nom general d'une nation très-étendue, comprenoit tous les Peuples d'origine Celtique, qui étoient ſitués à l'orient des Alpes depuis le Rhin juſqu'à la mer . . D'une part les Helvetiens, ou peuples de la Suiſſe, de l'autre les habitans des côtes de la Méditerranée ou de la Ligurie portoient également ce nom*. Ibidem etiam *pag.* 84. Originem Ligurum, quam ſuperius attigimus, tradit. Ejuſdem Academiæ *vol.* XV. videnda Ducloſii Diſſertatio de origine &c. Linguæ Celticæ: nam *pag.* 569. agit de adjecto *Magum*, quod videtur ab Hebræa lingua deductum; & *pag.* 576. de reliquiis Linguæ Celticæ in Majori, & Minori Britannia, ubi affirmat communem eſſe linguæ uſum utriuſque gentis, dialecto vitiata, quod etiam Martinierius obſervavit, ut dixi. De altera Celtica terminatione in *dunum*, ſi placet, conſulenda Diſſertatio Feneli *vol.* XX. *pag.* 39.

vionum nomine intelligendæ ſunt Oceani Germanici exundationes, quarum antiquitas deducitur & ex excurſionibus *Cimmeriorum*, qui non alii fuere quam Cymbri; & ex ipſo primo in Italiam Umbrorum adventu.

DIS-

DISSERTATIO XII.

DE INSUBRIÆ FLUMINIBUS ET LACUBUS.

UNa ſimul complector Flumina, Lacuſque Inſubriæ. Inſubriæ nomen paulo latius ſumo comprehendens aliquas regiones, quæ ejus fines perſtringunt, quæq. Vicecomitibus dominantibus ad Inſubriæ Ducatum pertinebant.

I. OLLIUM, qui primus in Inſcriptionibus (1) memoratur, per Camunorum Vallem (*Valle Camonica*) L. fere P. M. procurrentem excipit Sebinus Lacus, qui Lacus ab Oppido *Sebo*, & *Sevo* dictus: cum autem oppidum vulgo jam *Iſeum* appelletur, hinc in idem cognomen migravit Lacus [*Lago d'Iſeo*]. Cremonam inter & Mantuam Ollius in Padum fertur auctus flumine MELA, de quo Catullus.

Flavus quam molli præcurrit flumine Mela
Brixia Veronæ Mater amata meæ.

In Ollium quoque defluit CLUSIUS [*Chieſe*], de quo Polybius (2) *P. Furius & C. Flaminius Inſubrium regionem circa Adduæ Padique confluentes trajecerunt ... poſt hæc .. tranſmiſſo Cluſio amne in Cœnomanorum agros pervenerunt.* Perotti verſioni Polybianæ ne fidas, qui indiligentius, ut alia alibi, hic Cluſium ne nominat quidem. De Ollio ſl. Plinius

(1) V. volum. 1. Inſcript. CLXXIV. p. 81. (2) Polyb. l. 2.

nius (1) ait: *Quædam vero* [aquæ] *& dulces inter ſe ſupermeant alias, ut in Fucino Lacu amnis* (Piconum vel Pitonium Chorographi exiſtimant], *in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemano Rhodanus, hic trans Alpes, ſuperiores in Italia, multorum millium tranſitu hoſpitales ſuas tantum, nec largiores, quam intulere, aquas evehentes*. An hæc inter admiranda ſtatui debeant neſcio: Flumina enim contento curſu Lacus ſindunt magna mole aquarum; largiores tamen non efferre, quis credat? Ticinum certe egredi ex Verbano lacu auctum videmus aliorum amnium aquis, qui in Lacum confluunt.

Tabula Peutingeriana inter Lambrum & Cluſium, quem *Cleuſim* nominat, duos amnes deſignat ab Alpibus in Padum decurrentes, eoſque vocat HUMATIA, & UBARTUS. Cum eo loco non alii reperiantur præter Ollium, Melam, *Brembum* & *Serium* hic poſtremus, ratione ſitus habita, dicendus eſt Humatia, Brembus autem erit Ubartus: ita Cluverius (2), & Brietius (3).

ABDUA, qui etiam Addua, flumen eſt nobilitatum multis magniſq. præliis, ſed præcipue veterum Inſubrum clade, qua Anno U. C. DXXXI. victi fuere vitio armorum, non Romanorum virtute: ea de re videndæ militares commentationes Folardi in Polybium (4): de prælii loco conjecturas habet epiſtola (5).

LAM-

(1) Plin. l. 2. c. 103.
(2) Cluverius It. Ant. l. 1. c. 36. p. 412.
(3) Brietius Parall. Geogr. t. 3. p. 547. (4) Folardus in Polybium t. 3. p. 196. edit. Amſtel. 1729. (5) Ep. III

LAMBRUM Blondus effundit ex Lacu Cereſio [*Lago di Lugano*], errat: profluit ex Eupili [*Lago di Puſiano*], & in Padum ſupra Oppidum Sancolombanum infra Placentiam decidit. In Itinerario Hieroſolymitano *Fluvius frigidus* dicitur, Plinius *Lambrum* ſemper nominat, Tabula Peutingeriana, *Ambrum*, alii *Umbronem*. Ubi de Inſubrum origine diſſerui, ibi jam oſtendi Lambrum, Ambrum, Umbronem eodem pertinere.

Superiori ætate plerique a Lambro dictos antiquitus putarunt *Populos Lambranos*. Eos in errorem induxit Svetonius non bene intellectus; hæc ejus feruntur verba in Julio Cæſare [1] *item Curio, ſed & M. Antonius Naſo auctores ſunt conſpiraſſe eum* [Cæſarem] *cum Cn. Piſone adoleſcente, cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provincia Hiſpania ultro extra ordinem data ſit, pactumque, ut ſimul foris ille, ipſe Romæ ad res novandas conſurgerent per Lambranos, & Transpadanos*. Senſus eſt ejuſmodi, ut dum Cæſar Romæ ſubſiſtens Transpadanos ſolicitaret, Piſo foris, in Hiſpania ſcilicet, turbaret Remp. ope abutens barbari alicujus populi, qui *Lambranus* vocaretur. Sed de ipſa etiam vulgari lectione dubitari poteſt, an ſit verior; nonnulla enim exempla habent non *Lambranos*, ſed *Ambianos*, & *Ambranos*. Quiqui autem hi fuerint, nullo modo fuere circa fl. Lambrum ſiti. Cum enim Lambrus mediam interſecet Inſubriam, qui tractus in media erat tranſpadana regione, Lambri incolæ non poterant eximi aut diſtingui a cæterorum Tranſpadanorum nomine, per quos

(1) Svetonius in J. Cæſ. c. 9.

quos Cæſar turbare Remp. cogitabat, ut ait Svetonius.

TICINUS, quem Tabula Peutingeriana *Ticenum* vocat, flumen nobile præſertim ob cladem ab Annibale Scipioni illatam. Gaudentius Merula [1] exiſtimat pugnatum fuiſſe ad pagum *Caſſolo*, quem Caſilinum nominat, in agro Viglebanenſi: ducitur in eam opinionem ex quadrata forma caſtrorum, quorum ejus ævo reliquiæ ſupererant. Incredibile videtur ab Annibalis deſcenſu ad eam uſque ætatem manſiſſe Scipionis caſtra. Accedit, quod in Tranſticinatibus ita crebra bella, totque metationes caſtrorum fuerunt, ut vix fortaſſe ſæculum unum extiterit, quod non plures in eas regiones exercitus effuderit. Suſpicor Romanorum & Carthaginenſium prælium fuiſſe non procul ab oppido Summa, ſeu Somma [*Somma*]. Suſpicio innaſcitur ex diligenti collatione eorum omnium, quæ a Polybio & Livio ſunt tradita.

Scipio ponte Ticinum fl. inſtravit, non tamen tranſmiſit exercitum, & caſtra fecit ad vicum, ſeu locum, qui vocabatur *Tumulis*. Annibal in adverſa ripa conſtitit, utque equitatu uti poſſet, cogitavit de flumine trajiciendo, & ad ejus fontem, ſive exitum e Verbano Lacu progredi cœpit contra montes, qui eminent. Idem in citeriore ripa inſtituit facere Scipio, ita ut flumine interpoſito dexteram Romani, ſiniſtram haberent Pœni. Superato ab his Ticino uterque aciem inſtruxere, Annibal explicato equitatu, quo valebat, Romanos fudit. Si omnia per-

(1) Gaud. Merula Antiq. Gall. Ciſalp. l. 1. c. 2.

perpendantur, ſcilicet Ticini originis, aut egreſſus e Lacu propinquitas, montes & altitudines collium non procul, lata planities ad expediendum equitatum, nomen ipſum *Tumulis*, quod planitiei altitudinem, grumoſque ſignificat, & ad Summæ ſitum nomenq. recidit, non abeſt conjectura hic, aut circa hæc loca fuiſſe pugnatum, præſertim cum recens nomen Summæ idem, atq. *Tumuli* valeat; ſumma eo loco ſit agri Inſubrium altitudo occidentem verſus; octo circiter M. P. oppidum diſtet ab Ticini exitu, & latiſſima adjaceat planities non paucis præliis deinde illuſtris.

SESSITES, nonnullis Sicida, & Siccia vocatur: Agrum Novarienſem terminat fere ſub Vercellarum muris. *Seſiam* italice nominant, unde etiam nomen habuit vallis [*Valſeſia*], quam defluens percurrit. Gaud. Merula hujus vallis incolas (1) Siccianos appellat, & ab his interceptos ait Theutonum Regulos, atque ad C. Marium adductos fuiſſe. De Pado peculiaris erit alio loco inquiſitio: jam Lacus ſequor.

II. Lacum CERESIUM eundem eſſe ac Lacum *Lucanum*, ut nonnulli nominant (*Lago di Lugano*) intelligimus ex Gregorio Turonenſi (2): *His a Grippone Childeberto Regi relatis confeſtim exercitum in Italiam commoveri jubet, ac XX. Duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Appropinquantes autem ad terminum Italiæ Andovaldus cum ſex ducibus dextram petiit, atque ad Mediolanenſem* Urbem

(1) Merula l. 2. c. 11.
(2) Greg. Turon. l. 10. c. 13.

Urbem advenit, ibique eminus in campeſtria caſtra poſuerunt. Olo autem Dux ad Belitiona hujus urbis caſtrum in Campis ſitum Caninis importune accedens jaculo ſub papilla ſauciatus cecidit, & mortuus eſt. Hi autem cum egreſſi fuiſſent in præda, ut aliquid victus acquirerent, a Langobardis irruentibus paſſim per loca proſternebantur. Erat autem ſtagnum quoddam in ipſo Mediolanenſis urbis territorio, quod Ceresium vocitant, ex quo parvus quidem fluvius, ſed profundus, egreditur. Fluviolo huic veriſimilius nomen *Cereſio* fuit, nunc eſt *Treſia*, & lacum Cereſium Verbano nectit. Cluverio in novo (1) vocabulo *Treſia* aliquid antiqui nominis videtur ineſſe, & non procul ab ejus oſtio viculum *Cereſum* reperit, quem exiſtimat cognominem fluvio fuiſſe.

De Lario & Verbano non eſt, cur hoc loco dicam, quæ duabus litteris tradidi (2). EUPILIS, nomen veriſimilius inditum a Græcis Coloniis, quæ in Orobios & Comum deductæ ſunt, hodie *Puſiani Lacus*; [*Lago di Puſiano*] & in tres minores Lacus abiit. Paulus Jovius de Piſcibus Romanis, *Eupilis*, inquit, *multo minores quam Larius, Percecos producit, quoniam magna ex parte vel influentium aquarum defectu, vel occultiore aliquo hiatu terræ hauſtus multis ante annis exaruit, abiitque in tres minores Lacus, aquis in depreſſiora ſubſidentibus.*

Quoniam mentio incidit Jovii, deque ejus Piſcibus, placet admonere, quæ Scriptor Novocomen-

(1) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 14.
(2) Epiſt. 11. 12.

menſis de prægrandibus atque immanibus (1) Larii ſui piſcibus portentoſa eo libro narrat, ab ipſis Larii incolis derideri. Neque enim aut Troctæ librarum centum, aut Burbari biſcentum eo in Lacu viſæ unquam, ut audio. Eupilim nominat Plinius loco ſuperius allato.

CUSIUM Lacum Aug. Lazarus (2) Cotta jure Lacum eſſe S. Julii putat ſitum in Novarienſibus. Cluverius (3) Itinerarium Antonini ſecutus, dubitat Cuſii nomen tribuendumne ſit Lacui Cereſio ideſt Lugani, an vero Juliano Lacui. Sed cum Tabula itineraria Peutingeri anonymum quendam deſignet fluvium ex Cuſio procurrentem verſus Novarienſem agrum, omnino huic Lacui id debetur no-

---

(1) Paul. Jovius *De Piſcibus Romanis* c. 38. *Larius igitur Lacus ... piſces longe omnium maximos gignit, Troctas centum aliquando librarum pondere, & Burbaros* (Carpenas vulgo) *ducentarum: ſed Burbari illi ingentes videri potius liquidis ac perſpicuis in undis, quam capi retibus poſſunt, cum ea impotenti impetu plerumque dilacerent. Subeunt ſolſtitii diebus Umbroſos ſpecus in rupibus Licinianis, quæ ſunt in adverſa Larii ripa contra Inſulam, Euripumq. illum gemmeum a Cecilio, Plinio celebratum. Eos induſtrius quidam Sacerdos ſagittis arcubaliſta emiſſis, cum in profundo quieſcentes fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, vulnerare conabatur, neque tamen ſagittæ longo alligatæ funiculo, niſi averſis officiebant; cum illa ſquammarum ſerie thoracati eorum ictus facile repellerent ... raro in bipedalem excedere magnitudinem ſolent.*

(2) Cotta Corografia della Riviera di S. Giulio p. 20. & Verbani Lacus Corographia n. 82.

(3) Cluver. Ital. Ant. l. 1. c. 34.

nomen. Neque enim ex Cereſio Lacu defluere in Novarienſes ullus poteſt fluvius interpoſito Verbano & Ticino. Fluvius Anonymus aliquibus videtur *Terduplus* [*Terdobio*], præſertim cum in Padum deferatur, æque atque Agonia amnis, qui ibi Novariæ fluminis nomine deſignatur.

Minores alios fluvios, & Lacus aut ſtagna non perſequor, neque ab eo requirebantur, in cujus gratiam confecta eſt Inſcriptio de Fluminibus & Lacubus Inſubriæ.

DISSERTATIO XIII.

DE INCOLIS VALLIUM QUÆ AD INSUBRIAM PERTINENT.

NE disjectis notis legentes interpellentur, in unum conferendos ſtatui Populos ad Inſubriæ late ſumptæ Valles pertinentes, quos Inſcriptione CLXXV. comprehendi, ut uno ictu oculi ſingula percurri poſſint.

I. TRIUMPILINI memorantur in Auguſti Trophæo, cujus Inſcriptionem refert Plinius (1). Incolebant Vallem, quam Mela fl. interluit, ejuſque fauces V. P. M. circiter abſunt ab Urbe Brixia. Tres Inſcriptiones eos *Triumplinos* vocant: in Tabula Peutingeriana *Trumpli* appellantur; inde enatum Valli Italicum nomen *Troppia L* in *I* tranſmigrante, uti in *Planta Flocco Clavi &c.*, unde extitere italica illa vocabula *Pianta*, *Fiocco*, *Chiave &c.* Plinius Triumpilinorum conditionem, aut indolem (2) ſic exhibet: *Latini juris Euganeæ gentes, quarum oppida XXXIV. enumerat Cato; ex quibus Triumpilini venalis cum agris ſuis populus.*

CAMUNI, qui ſunt Straboni Καμῦνοι Dioni autem Καμμώνιοι fluminis Ollii Vallem habuere: Valli vetus adhuc manet nomen [*V. Camonica*]. In hujus oppi-

(1) Plin. l. 3. c. 20. (2) Idem ibid.

lius putat Cluverius (1) Vennones incoluiſſe primum Vallem Tellinam (qua de re conſentiunt omnes Geographi, & Lexicographi, Ortelius, Brietius, Phil. Ferrarius, Baudrandius &c.) atque illinc protendiſſe ſe uſque ad montem Adulam, & poſterioris Rheni ortus, quo etiam eos loco deſignat tabula Isleana. Quamquam difficile mihi videtur eo uſque illorum fines procurriſſe; interpoſitus eſt enim mons Adula; & potius ſuſpicor aliquot Vennonicas colonias eo eſſe tranſgreſſas.

Cluverius cenſet Vennonetes poſtmodum in Vallem Venuſtam tranſiſſe. Male tamen ille accuſat latinum (2) vulgus Grammaticorum, quod Vallem *Venuſtam* fecerint, quam putat *Venoſcam* debere dici, argumentum inde ducens, quod illic ſuperſit Vallis ejus vetus nomen Celticum *Venniſchgäw*, & *Vinniſchgäw*, quod eſt *Pagus Vennonicus*, contractus uti nunc in *Vinſghäw*: ſed non debebat ignorare etiam *Vinſtgoew* fuiſſe dictum *t* interjecto, *et* non *c* a Luitprando, uti obſervant Ortelius & Phil. Ferrarius (3); in quo *Venoſta* ineſt contracta. Præterea in Trophæo Auguſti leguntur *Venoſtes*, *Vennonetes*: igitur duo populi, non unus. Ex diverſis ſcribendi formis, quibus nominantur a Scriptoribus *Vennones*, *Vennonetes*, *Venonii*, *Venii*, Geographi (4) *Vennones* aſſumpſerunt. Sed cum Lexicographi (5) *Vennones* & *Vennonetes* diſtinguant, atque illos in Helvetiis locent, hos Rhætorum faciant, puto Vennones fuiſſe Co-

loniam

(1) Cluverius l. 1. c. 15. (2) Cluv. It. Ant. loc. cit.
(3) Art. *Vennones*. (4) Cellarius lib. cit. p. 423.
(5) Ortel. Theſ. art. *Vennones*, Phil. Ferrarius &c.

loniam deductam a Vennonetibus, uti ſuperius attigi, quæ prope Helvetios conſederit, ut exhibet Tabula Isleana.

RUGUSCOS Quadrius in Valle Tellina deſcribit, ubi fluviolus, aut Torrens nomine *Ruaſca:* plerique Geographi eos inter Tellinam, & Clavennatium Vallem (1) conſtituunt: & vero Tabula Isleana Clavennam in Ruguſcis ſignat.

III. ISARCI domiti ab Auguſto, & memorati in Seguſiano Trophæo TRIUMPILINI CAMUNI VENOSTES VENNONETES ISARCI BREUNI, ab Harduino (2) auctoritate Bouchei hiſtorici collocantur inter Camunos, & Ollium fl.: hodie *Val de Sarra*, vel *de Sarcha:* Martinerius & Ortelius (3) ſecuti Tſchudum illos commiſcent cum *Meſaucis:* hi erant incolæ Vallis, quam Meſus fl. interluit, quos prædicti Geographi ne nominant quidem, deq. iis mox erit ſermo. Quod ad Iſarcos pertinet, omnibus bene expenſis mihi videtur probabilitatem aliquam habere Bonaventura (4) Caſtillionæus, qui eos putat ſedem habuiſſe apud Oppidum Arciſatis (*Arciſate*) Agri Mediol. non procul Variſio; ubi *ad ejus Collis dorſum, cui Clivum imminet, duo Municipiola viſuntur, Pſaltrium lapicidinis percelebre, & Iſarſum*. Hujus ſententiæ ſubobſcure favent Baudrandius & Ortelius ipſe. Omnis ea vicinia antiquis eſt monumentis locuples.

ME-

(1) Cluver. l. cit. p. 105.
(2) Harduinus in Plin. l. 3. c. 20.
(3) Ortelius & Martinerius art. *Miſauci*.
(4) Caſtillionæus lib. cit. p. 107.

nius (1) ait. *Quædam vero* [aquæ] *& dulces inter ſe ſupermeant alias, ut in Fucino Lacu amnis* (Piconum vel Pitonium Chorographi exiſtimant], *in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemano Rhodanus, hic trans Alpes, ſuperiores in Italia, multorum millium tranſitu hoſpitales ſuas tantum, nec largiores, quam intulere, aquas evehentes.* An hæc inter admiranda ſtatui debeant neſcio: Flumina enim contento curſu Lacus findunt magna mole aquarum; largiores tamen non efferre, quis credat? Ticinum certe egredi ex Verbano lacu auctum videmus aliorum amnium aquis, qui in Lacum confluunt.

Tabula Peutingeriana inter Lambrum & Cluſium, quem *Cleuſim* nominat, duos amnes deſignat ab Alpibus in Padum decurrentes, eoſque vocat HUMATIA, & UBARTUS. Cum eo loco non alii reperiantur præter Ollium, Melam, *Brembum* & *Serium* hic poſtremus, ratione ſitus habita, dicendus eſt Humatia, Brembus autem erit Ubartus: ita Cluverius (2), & Brietius (3).

ABDUA, qui etiam Addua, flumen eſt nobilitatum multis magnifq. præliis, ſed præcipue veterum Inſubrum clade, qua Anno U. C. DXXXI. victi fuere vitio armorûm, non Romanorum virtute: ea de re videndæ militares commentationes Folardi in Polybium (4): de prælii loco conjecturas habet epiſtola (5).

LAM-

(1) Plin. l. 2. c. 103.
(2) Cluverius It. Ant. l. 1. c. 36. p. 412.
(3) Brietius Parall. Geogr. t. 3. p. 547. (4) Folardus in Polybium t. 3. p. 196. edit. Amſtel. 1729. (5) Ep. III

LAMBRUM Blondus effundit ex Lacu Cereſio [*Lago di Lugano*], errat: profluit ex Eupili [*Lago di Puſiano*], & in Padum ſupra Oppidum Sancolombanum infra Placentiam decidit. In Itinerario Hieroſolymitano *Fluvius frigidus* dicitur, Plinius *Lambrum* ſemper nominat, Tabula Peutingeriana, *Ambrum*, alii *Umbronem*. Ubi de Inſubrum origine diſſerui, ibi jam oſtendi Lambrum, Ambrum, Umbronem eodem pertinere.

Superiori ætate plerique a Lambro dictos antiquitus putarunt *Populos Lambranos*. Eos in errorem induxit Svetonius non bene intellectus; hæc ejus feruntur verba in Julio Cæſare [1] *item Curio, ſed & M. Antonius Naſo auctores ſunt conſpiraſſe eum* [Cæſarem] *cum Cn. Piſone adoleſcente, cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provincia Hiſpania ultro extra ordinem data ſit, pactumque, ut ſimul foris ille, ipſe Romæ ad res novandas conſurgerent per Lambranos, & Tranſpadanos*. Senſus eſt ejuſmodi, ut dum Cæſar Romæ ſubſiſtens Tranſpadanos ſolicitaret, Piſo foris, in Hiſpania ſcilicet, turbaret Remp. ope abutens barbari alicujus populi; qui *Lambranus* vocaretur. Sed de ipſa etiam vulgari lectione dubitari poteſt, an ſit verior; nonnulla enim exempla habent non *Lambranos*, ſed *Ambianos*, & *Ambranos*. Quiqui autem hi fuerint, nullo modo fuere circa fl. Lambrum ſiti. Cum enim Lambrus mediam interſecet Inſubriam, qui tractus in media erat tranſpadana regione, Lambri incolæ non poterant eximi aut diſtingui a cæterorum Tranſpadanorum nomine, per quos

(1) Svetonius in J. Cæſ. c. 9.

quos Cæſar turbare Remp. cogitabat, ut ait Svetonius.

TICINUS, quem Tabula Peutingeriana *Ticenum* vocat, flumen nobile præſertim ob cladem ab Annibale Scipioni illatam. Gaudentius Merula [1] exiſtimat pugnatum fuiſſe ad pagum *Caſſolo*, quem Caſilinum nominat, in agro Viglebanenſi: ducitur in eam opinionem ex quadrata forma caſtrorum, quorum ejus ævo reliquiæ ſupererant. Incredibile videtur ab Annibalis deſcenſu ad eam uſque ætatem manſiſſe Scipionis caſtra. Accedit, quod in Tranſticinatibus ita crebra bella, totque metationes caſtrorum fuerunt, ut vix fortaſſe ſæculum unum extiterit, quod non plures in eas regiones exercitus effuderit. Suſpicor Romanorum & Carthaginenſium prælium fuiſſe non procul ab oppido Summa, ſeu Somma [*Somma*]. Suſpicio innaſcitur ex diligenti collatione eorum omnium, quæ a Polybio & Livio ſunt tradita.

Scipio ponte Ticinum fl. inſtravit, non tamen tranſmiſit exercitum, & caſtra fecit ad vicum, ſeu locum, qui vocabatur *Tumulis*. Annibal in adverſa ripa conſtitit, utque equitatu uti poſſet, cogitavit de flumine trajiciendo, & ad ejus fontem, ſive exitum e Verbano Lacu progredi cœpit contra montes, qui eminent. Idem in citeriore ripa inſtituit facere Scipio, ita ut flumine interpoſito dexteram Romani, ſiniſtram haberent Pœni. Superato ab his Ticino uterque aciem inſtruxere, Annibal explicato equitatu, quo valebat, Romanos fudit. Si omnia per-

(1) Gaud. Merula Antiq. Gall. Ciſalp. l. 1. c. 2.

perpendantur, ſcilicet Ticini originis, aut egreſſus e Lacu propinquitas, montes & altitudines collium non procul, lata planities ad expediendum equitatum, nomen ipſum *Tumulis*, quod planitiei altitudinem, grumoſque ſignificat, & ad Summæ ſitum nomenq. recidit, non abeſt conjectura hic, aut circa hæc loca fuiſſe pugnatum, præſertim cum recens nomen Summæ idem, atq. *Tumuli* valeat; ſumma eo loco ſit agri Inſubrium altitudo occidentem verſus; octo circiter M. P. oppidum diſtet ab Ticini exitu, & latiſſima adjaceat planities non paucis præliis deinde illuſtris.

SESSITES, nonnullis Sicida, & Siccia vocatur: Agrum Novarienſem terminat fere ſub Vercellarum muris. *Seſiam* italice nominant, unde etiam nomen habuit vallis [*Valſeſia*], quam defluens percurrit. Gaud. Merula hujus vallis incolas (1) Sicciaнos appellat, & ab his interceptos ait Theutonum Regulos, atque ad C. Marium adductos fuiſſe. De Pado peculiaris erit alio loco inquiſitio: jam Lacus ſequor.

II. Lacum CERESIUM eundem eſſe ac Lacum *Lucanum*, ut nonnulli nominant (*Lago di Lugano*) intelligimus ex Gregorio Turonenſi (2): *His a Grippone Childeberto Regi relatis confeſtim exercitum in Italiam commoveri jubet, ac XX. Duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Appropinquantes autem ad terminum Italiæ Andovaldus cum ſex ducibus dextram petiit, atque ad Mediolanenſem* Urbem

(1) Merula l. 2. c. 11.
(2) Greg. Turon. l. 10. c. 13.

Urbem advenit, ibique eminus in campeſtria caſtra poſuerunt. Olo autem Dux ad Belitiona hujus urbis caſtrum in Campis ſitum Caninis importune accedens jaculo ſub papilla ſauciatus cecidit, & mortuus eſt. Hi autem cum egreſſi fuiſſent in præda, ut aliquid victus acquirerent, a Langobardis irruentibus paſſim per loca proſternebantur. Erat autem ſtagnum quoddam in ipſo Mediolanenſis urbis territorio, quod Cereſium vocitant, ex quo parvus quidem fluvius, ſed profundus, egreditur. Fluviolo huic veriſimilius nomen *Cereſio* fuit, nunc eſt *Treſia*, & lacum Cereſium Verbano nectit. Cluverio in novo (1) vocabulo *Treſia* aliquid antiqui nominis videtur ineſſe, & non procul ab ejus oſtio viculum *Cereſium* reperit, quem exiſtimat cognominem fluvio fuiſſe.

De Lario & Verbano non eſt, cur hoc loco dicam, quæ duabus litteris tradidi (2). EUPILIS, nomen veriſimilius inditum a Græcis Coloniis, quæ in Orobios & Comum deductæ ſunt, hodie *Puſiani Lacus*; [*Lago di Puſiano*] & in tres minores Lacus abiit. Paulus Jovius de Piſcibus Romanis, *Eupilis*, inquit, *multo minores quam Larius, Percecos producit, quoniam magna ex parte vel influentium aquarum defectu, vel occultiore aliquo hiatu terræ hauſtus multis ante annis exaruit, abiitque in tres minores Lacus, aquis in depreſſiora ſubſidentibus.*

Quoniam mentio incidit Jovii, deque ejus Piſcibus, placet admonere, quæ Scriptor Novocomen-

(1) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 14.
(2) Epiſt. 11. 12.

menſis de prægrandibus atque immanibus (1) Larii ſui piſcibus portentoſa eo libro narrat, ab ipſis Larii incolis derideri. Neque enim aut Troctæ librarum centum, aut Burbari biſcentum eo in Lacu viſæ unquam, ut audio. Eupilim nominat Plinius loco ſuperius allato.

CUSIUM Lacum Aug. Lazarus (2) Cotta jure Lacum eſſe S. Julii putat ſitum in Novarienſibus. Cluverius (3) Itinerarium Antonini ſecutus, dubitat Cuſii nomen tribuendumne ſit Lacui Cereſio ideſt Lugani, an vero Juliano Lacui. Sed cum Tabula itineraria Peutingeri anonymum quendam deſignet fluvium ex Cuſio procurrentem verſus Novarienſem agrum, omnino huic Lacui id debetur no-

(1) Paul. Jovius *De Piſcibus Romanis* c. 38. *Larius igitur Lacus . . . piſces longe omnium maximos gignit, Troctas centum aliquando librarum pondere, & Burbaros* (Carpenas vulgo) *ducentarum: ſed Burbari illi ingentes videri potius liquidis ac perſpicuis in undis, quam capi retibus poſſunt, cum ea impotenti impetu plerumque dilacerent. Subeunt ſolſtitii diebus Umbroſos ſpecus in rupibus Licinianis, quæ ſunt in adverſa Larii ripa contra Inſulam, Euripumq. illum gemmeum a Cecilio, Plinio celebratum. Eos induſtrius quidam Sacerdos ſagittis arcubaliſta emiſſis, cum in profundo quieſcentes fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, vulnerare conabatur, neque tamen ſagittæ longo alligatæ funiculo, niſi averſis officiebant; cum illa ſquammarum ſerie thoracati eorum ictus facile repellerent . . . raro in bipedalem excedere magnitudinem ſolent.*

(2) Cotta Corografia della Riviera di S. Giulio p. 20. & Verbani Lacus Corographia n. 82.

(3) Cluver. Ital. Ant. l. 1. c. 34.

nomen. Neque enim ex Cereſio Lacu defluere in Novarienſes ullus poteſt fluvius interpoſito Verbano & Ticino. Fluvius Anonymus aliquibus videtur *Terduplus* [*Terdobio*], præſertim cum in Padum deferatur, æque atque Agonia amnis, qui ibi Novariæ fluminis nomine deſignatur.

Minores alios fluvios, & Lacus aut ſtagna non perſequor, neque ab eo requirebantur, in cujus gratiam confecta eſt Inſcriptio de Fluminibus & Lacubus Inſubriæ.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

DE INCOLIS VALLIUM QUÆ AD INSUBRIAM PERTINENT.

NE disjectis notis legentes interpellentur, in unum conferendos ſtatui Populos ad Inſubriæ late ſumptæ Valles pertinentes, quos Inſcriptione CLXXV. comprehendi, ut uno ictu oculi ſingula percurri poſſint.

I. TRIUMPILINI memorantur in Auguſti Trophæo, cujus Inſcriptionem refert Plinius (1). Incolebant Vallem, quam Mela fl. interluit, ejuſque fauces V. P. M. circiter abſunt ab Urbe Brixia. Tres Inſcriptiones eos *Triumplinos* vocant: in Tabula Peutingeriana *Trumpli* appellantur; inde enatum Valli Italicum nomen *Troppia L* in *I* tranſmigrante, uti in *Planta Flocco Clavi &c.*, unde extitere italica illa vocabula *Pianta*, *Fiocco*, *Chiave &c.* Plinius Triumpilinorum conditionem, aut indolem (2) ſic exhibet: *Latini juris Euganeæ gentes, quarum oppida XXXIV. enumerat Cato; ex quibus Triumpilini venalis cum agris ſuis populus.*

CAMUNI, qui ſunt Straboni Καμοῦνοι Dioni autem Καμμούνιοι fluminis Ollii Vallem habuere: Valli vetus adhuc manet nomen [*V. Camonica*]. In hujus oppi-

(1) Plin. l. 3. c. 20. (2) Idem ibid.

oppidulo [*Civedà*] Inſcriptio habet CAMUNI, & in vico Eſeno habetur ORDO CAMUNN [Camunorum]: hi etiam leguntur in Auguſti Trophæo.

SUANETES, qui & *Suanitæ*, Harduinus (1) ſuſpicatur eoſdem eſſe ac *Sarunetes*. Sed contra eſt aperte Plinius, qui *Sarunetes* deſcribit ad ortum Rheni: *Sarunetesſque ortus Rheni amnis accolunt:* Tabula Isleana (2) eos collocat trans Adulam montem ad Rheni initia; Suanetes autem ſupra Camunos. Cluverius, (3) Brietius (4), aliique illos ſtatuunt circa vicum *Zuàn*; variante enim nominum fortuna *Zeàn*, *Zoàn*, *Zuàn* ortum, ex veteri vocabulo *Suana*, unde incolæ ſimul, & accolæ *Suanitæ*, & *Suanetes* fuere. Quadrius in Hiſtoria, ſeu Diſſertationibus Vallis Tellinæ ſuæ (5) in ea locum reperit, aut reperiſſe ſe putat appellatum ſuperioribus ætatibus. *Aſſoviunum*, *Aſſiunum*, *Aſſavonem*. Ingenio & conjecturis, ut plerumque, certat, ut ex his vocibus *Suanetes* exprimat, illucq. in ſuam Patriam gentem pertrahat. Plus aliquid doctiſſimi Viri auctoritati tribui poſſet, niſi impotentius Patriæ ſuæ ſtuduiſſet, ex qua educit, effunditque pleraſque familias latæ Inſubriæ; in eam vero bene multas nationes confert; &

(1) Harduinus in Plin. ibid.

(2) *Tabula Italiæ Ant. in Regiones XI. ab Auguſto diviſæ ad menſuras itinerarias &c. exacta accurante Guillelmo de l'Isle;* eſt in Cluverii Introductione cum notis Bunonis, Hekelii &c. edit. Amſtel. 1729. in 4. V. p. 292.

(3) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 15.

(4) Brietii Parall. Geogr. t. 3. p. 547.

(5) *Diſſertazioni intorno alla Valle Tellina*. Diſſ. 2. §. 4.

& congerit ex Auguſti trophæo, quas, confecta ſibi ad ingenium tabula Vallis Tellinæ, certo ſingulas loco ſtatuit. Perſuadebit nunquam anguſtum tractum, impeditum præterea antiquitus paludibus & ſaltibus, tantam multitudinem capere potuiſſe.

II. VENNONETES juxta Strabonem habitabant ſupra Comum, ideſt Larium, in ortum ſolis inclinantes (1): Plinius, & Ptolomæus eos Rhætos faciunt. In Rhætorum nunc quidem ſunt poteſtate, an in Rhætia cenſerentur olim, addubitari non mediocriter poteſt, & fruſtra Quadrius (2) obtrudit Rhætiam primam, & ſecundam, quaſi argumentum, cui plane fidendum ſit. Perlegenda ſunt, quæ de his Cellarius (3) explicat, & diſputat contra Cluverium. Strabo (4) Rhætos a Vennonibus diſtinguit: *Supra Comum, quod eſt ad radices Alpium ſitum, habitant verſus Orientem Rhæti, & Vennones*. Dio illos excludit a Rhætis (5) *Camuni ac Vennones alpinæ Gentes arma contra Romanos ſumpſerunt, victique a P. Silo, & ſubacti ſunt*: tum paulo poſt ſeparatim ab hoc bello bellum Rhæticum diligenter perſequitur. Sed cum Vennonetes extremis Italiæ fimbriis Alpes Rhætorum contingant, potuere a nonnullis haberi pro Rhætis. Incolæ fuere Vallis Tellinæ. Quadrius ex quodam (6) torrente, ſeu rivo, qui dicitur *la Vennina* putat urbem quandam *Venniam* extitiſſe, eamque fuiſſe ſitam e regione Sundrii ad meridiem; atque hinc ille exiſtimat Vennones dictos. Melius

(1) Strabo l. 4. pag. 224.
(2) Quadr. Diſſ. 2. §. 3. p. 53.
(3) Cellarius *Notitia Orbis Antiqui* l. 2. c. 7. n. 22. & 26.
(4) Strabo loc. cit. (5) Dio l. 54. (6) Quadr. ib. p. 56.

lius putat Cluverius (1) Vennones incoluiſſe primum Vallem Tellinam (qua de re conſentiunt omnes Geographi, & Lexicographi, Ortelius, Brietius, Phil. Ferrarius, Baudrandius &c.) atque illinc protendiſſe ſe uſque ad montem Adulam, & poſterioris Rheni ortus, quo etiam eos loco deſignat tabula Isleana. Quamquam difficile mihi videtur eo uſque illorum fines procurriſſe; interpoſitus eſt enim mons Adula; & potius ſuſpicor aliquot Vennonicas colonias eo eſſe tranſgreſſas.

Cluverius cenſet Vennonetes poſtmodum in Vallem Venuſtam tranſiſſe. Male tamen ille accuſat latinum (2) vulgus Grammaticorum, quod Vallem *Venuſtam* fecerint, quam putat *Venoſcam* debere dici, argumentum inde ducens, quod illic ſuperſit Vallis ejus vetus nomen Celticum *Venniſchgäw*, & *Vinniſchgäw*, quod eſt *Pagus Vennonicus*, contractus uti nunc in *Vinſghäw:* ſed non debebat ignorare etiam *Vinſtgoew* fuiſſe dictum *t* interjecto, et non *c* a Luitprando, uti obſervant Ortelius & Phil. Ferrarius (3); in quo *Venoſta* ineſt contracta. Præterea in Trophæo Auguſti leguntur *Venoſtes*, *Vennonetes:* igitur duo populi, non unus. Ex diverſis ſcribendi formis, quibus nominantur a Scriptoribus *Vennones*, *Vennonetes*, *Venonii*, *Venii*, Geographi (4) *Vennones* aſſumpſerunt. Sed cum Lexicographi (5) *Vennones* & *Vennonetes* diſtinguant, atque illos in Helvetiis locent, hos Rhætorum faciant, puto Vennones fuiſſe Coloniam

(1) Cluverius l. 1. c. 15. (2) Cluv. It. Ant. loc. cit.
(3) Art. *Vennones*. (4) Cellarius lib. cit. p. 425.
(5) Ortel. Theſ. art. *Vennones*, Phil. Ferrarius &c.

loniam deductam a Vennonetibus, uti ſuperius attigi, quæ prope Helvetios conſederit, ut exhibet Tabula Isleana.

RUGUSCOS Quadrius in Valle Tellina deſcribit, ubi fluviolus, aut Torrens nomine *Ruaſca:* plerique Geographi eos inter Tellinam, & Clavennatium Vallem (1) conſtituunt: & vero Tabula Isleana Clavennam in Ruguſcis ſignat.

III. ISARCI domiti ab Auguſto, & memorati in Seguſiano Trophæo TRIUMPILINI CAMUNI VENOSTES VENNONETES ISARCI BREUNI, ab Harduino (2) auctoritate Bouchei hiſtorici collocantur inter Camunos, & Ollium fl.: hodie *Val de Sarra*, vel *de Sarcha:* Martinerius & Ortelius (3) ſecuti Tſchudum illos commiſcent cum *Meſaucis:* hi erant incolæ Vallis, quam Meſus fl. interluit, quos prædicti Geographi ne nominant quidem, deq. iis mox erit ſermo. Quod ad Iſarcos pertinet, omnibus bene expenſis mihi videtur probabilitatem aliquam habere Bonaventura (4) Caſtillionæus, qui eos putat ſedem habuiſſe apud Oppidum Arciſatis (*Arciſate*) Agri Mediol. non procul Variſio; ubi *ad ejus Collis dorſum, cui Clivum imminet, duo Municipiola viſuntur, Pſaltrium lapicidinis percelebre, & Iſarſum.* Hujus ſententiæ ſubobſcure favent Baudrandius & Ortelius ipſe. Omnis ea vicinia antiquis eſt monumentis locuples.

ME-

(1) Cluver. l. cit. p. 105.
(2) Harduinus in Plin. l. 3. c. 20.
(3) Ortelius & Martinerius art. *Miſauci*.
(4) Caſtillionæus lib. cit. p. 107.

MESIATES, qui nominantur in Tabula Itineraria, Quadrius ex quodam Viculo, cui nomen *Meſe*, traducit in Clavennatium vallem affinem Tellinæ. Nemo non cum Cluverio, Caſtillionæo &c. (1) potius exiſtimabit, quod eſt, habitatores ſcilicet fuiſſe vallis, quam Meſus fl. alluit delabens in Ticinum: Meſauci poſtmodum & Miſauci appellati ſunt. Oppidum Meſo fl. appoſitum Germanis *Maſox*, Italis *Muſoccho*, latinis jam *Meſaucum* dicitur. Tſchudius in libello, quem edidit de Antiqua Rhætia (2) *Vetuſtiores*, inquit, *litteræ, quæ inveniuntur in Curienſi Cathedrali Eccleſia, vocant memoratum locum Maſox, Meſaucum, & vallem ipſam Meſaucam:* hodie *Meſaucina*, corrupte *Meſolcina* nuncupatur. Tres habet Præfecturas, ſeu Vicariatus. Olim Ditio erat Principum Trivultiorum Mediolanenſium; ſed incolæ rebellione facta eorum Palatium in Oppido *Rogoredo* ſolo æquarunt, & Trivultiorum arcem apud Loſtallum everterunt funditus. Meſauci in aula Senatoria proſtant adhuc bina tormenta ænea cum Inſcriptione *Jo. Jacobus Trivultius*. Ariſtocraticam libertatem Rhætico tuentur more, Rhæticoq. fœderi, ſeu ſocietati junguntur, quam vocant Ligam Griſam (3). CALUCONES ex Cellario fuere in valle *Calanca*, quæ Meſaucinæ adhæreſcit.

LEPONTII Tauriſcæ gentis ſunt habiti, quo Tauriſcorum nomine plerique Alpium incolæ appellabantur. Teſte Plinio cenſebantur relicti in iis (4), ſedi-

(1) Cluver. It. ant. l. 1. c. 14. Bonav. Caſtillion. Gall. Inſubr. ant. ſedes p. 94. (2) Tſchudus c. 34.
(3) V. Cottam in Maccanei Chorog. Verbani. n. 98.
(4) Plin. l. cit.

ſedibus ex comitatu ſeu exercitu Herculis. Hi ſuum nomen reliquerunt Valli, unde Athiſo fl. defluit, & vocatur *Lepontia*, vel *Lepontina* [*Val Levantina*]. Erravit Ptolomæus collocans in Alpibus Cottiis Oſcelam (Ὄσκελα): in Cottiis non Oſcela, ſed *Ocellum* eſt [*Exiles*] memoratum a Cæſare. Oſcela eſt in Lepontiis, & ab ea Vallis habet nomen [*Val d'Oſcela*, & *d'Oſſula*] cui valli præeſt Oppidum *Domus* [*Domo d'Oſſula*]. Harduinus (1) putat Lepontios hanc vallem Oſcelæ, & ſimul Lepontiam circa Verbanum habitaſſe. Sed cum Strabo (2), aliique Auctores paſſim eos etiam ſupra Comum proferant, latius creſcente fortaſſe multitudine, fines etiam Lepontiorum creverunt, videnturque incoluiſſe omnes alpes, quæ Inſubriam proſpiciunt, & ab Occidentali ora Verbani Lacus decurrunt ſupra Lacus caput uſque ad Larii ſuperiora. Cluverius (3) & Brietius (4) hos illis fines ſtatuunt; dividuntur *a Septemtrione* a Sedunis & Rhætis, *ab Occidente* Salaſſis [*Val d'Aoſta*] *a meridie* Libiciis & Orobiis, *ab Oriente* Euganeis.

BREUNI (5) ab omnibus paſſim Geographis conſtituuntur in Valli Breunia [*Val di Breuna* & *di Bregna*], quam perluit Amnis Breunus in Ticinum, non inde procul emanantem, influens. De his Horatius (6)

Dru-

(1) Harduinus ibid. (2) Strabo l. 4.
(3) Cluverius It. A. l. 1. p. 99.
(4) Brietius Parall. Geogr. T. 3. p. 537.
(5) Cluverius Brietius Ortelius Harduinus &c.
(6) Horat. l. 4. Od. 14.

Druſus Genaunos implacidum genus,
Breunoſque veloces, & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit acer &c.

Quadrius eos deſcribit in Comitatu (1) Burmii ad Vallis Tellinæ extrema, Breunos ſenſim detorquens ad *Brennos*, *Brencos*, *Breones*, ut denique *Briones* eliciat; cui quid ſimile eſt in tractu Burmienſi: ſubſidio etiam utitur diverſarum lectionum, quæ ſunt in Ptolomæo, & Strabone. His fulcris ſententiam ſuam ſuſtinet: fortaſſe etiam illum movit aliqua dubitatio Cellarii hac in re (2), qui tamen poſtremo Brionibus omiſſis Breunos admittit auctoritate Horatii, & Trophæi Alpini. *Briones*, qui Venantio Fortunato (3) ſunt *Breones*, fuere teſte Volf. Lazio apud (4) *Brionum* oppidum in Norico, *Bruneck* in Comitatu Tiroli, aliis vero *Pirnaw* in tractu Salizburgenſi: at aliis videntur fuiſſe in Vindelicia (5) inter Licum & Oenum fl.

Agones nominantur a Polybio: ſunt accolæ fluminis Agoniæ inter Verbanum, & Cuſium, ſive Julianum Lacum excurrentis, circa *Vicum Agonum* [*Vugogna*]. Errat Cluverius aſſerens hoc oppidum (6) Epiſcopali dignitate clarum; ſed de Agonibus ſatis ſuperque jam diximus.

DIS-

(1) Quadrius Diſs. 2.
(2) Cellarius Notit. Orbis Ant. l. 2. c. 7. n. 24.
(3) Ven. Fortunatus in V. S. Martini l. 4.
(4) Vide Baudrandium Art. *Brionum*.
(5) V. Ortelii Theſaurum Art. *Ibriones*,
(6) Cluver. It. Ant. l. 1. c. 14. p. 100.

DISSERTATIO XIV.

DE URBE LAUDE POMPEJA.

DE Laude Pompeja ſupervacaneum eſſet dicere poſt Defendentem Lodium, qui diligenter pluribus Diſſertationibus Italicis propoſuit pleraque, quæ ad ejus Patriam pertinent; erat enim Laudenſis. Ne nihil tamen, in tanta præſertim ejus voluminis [1] difficultate, hæc breviter & ſummatim. I. Fabulæ de ejus Conditoribus. II. Quis ejus Conditor aut Inſtaurator. III. Quis Coloniam deduxerit, nomenque Laudis Pompejæ tribuerit: IV. Quando Urbs vetus diruta, quodque nomen loco eſſet, ubi denuo condita. V. Urbis veteris reliquiæ: in his monumentum inſigne Portæ ſuperſtes, quem reſpiciat.

I. Si nonnullorum ſomniis credendum, a Lauſo illo Virgiliano *Laus Pompeja* primitus condita; Mezentium autem contendunt prius regnaſſe in Etruſcas cis Apenninum Colonias. Quando etiam hoc poſtremum indulgentius concederetur, quis tamen argumento ejuſcemodi fidat ducto ex nominis ſimilitudine? Mezentio enim an Filius fuerit, an vero extiterit tantum opinione Virgilii, ut Pallantis inſtar aliquod non deeſſet Poemati; aut ſi vere filium Me-

(1) Diſcorſi Hiſtorici di Defendente Lodi in materie diverſe appartenenti alla Città di Lodi 1629.

Mezentius habuit, an huic nomen eſſet Lauſo, addubitari poteſt.

Boſſius, Bugattus [1] aliiq. fabulantur Belloveſo rerum in Inſubria potito Laudum neſcio quem, Mediolano protruſum, Urbem ſuo nomine ſtatuiſſe; indeq. profecta eſſe inveterata illa odia Laudenſium in Mediolanenſes, quibus plenæ ſunt hiſtoriæ. Gratis hæc, nulloq. Auctore tradita: itaq. nec tanti ſunt, ut refutari mereantur.

Laus Pompeja videtur a Boiis condita: ſaltem hæc valebat opinio antiquitus apud eos, qui Urbium origines explicarunt. Plinius enim hæc: *Boii trans Alpes profecti Laudem Pompejam* [2] condiderunt. Quod nacta fuerit Urbs a Boiis nomen, neſcio: non exiſtimo idem fuiſſe quod nunc habet; recentior enim, nec Gallica, ſed Latina vox videtur *Laus*: *Pompeja* additamentum a Pompejo eſt profectum, & fortaſſe etiam ab eodem vocabulum *Laus* tributum eſt Urbi, quam vel inſtaurarit, vel condiderit, ut perenne monumentum quoddam ſui nominis, claritatiſque relinqueret.

II. Uter autem Pompejorum, an Strabo Magni Pater, an Magnus, Strabonis filius Urbem ex ſeſe nominarit, dubitatum eſt a nonnullis. Georgius Merula, Corius, Bugattus, Guicciardinus [3], & aliqui etiam ex Laudenſibus Scriptoribus Coloniam deductam putant a Cn. Pompejo Magno. Eorum plerique ſic tradunt, Magnum poſt purgata maria Laudem Pompejam aut ædificaſſe, aut reſtituiſſe; dediſſeq. Urbi colonos Piratarum primarios,

quos

(1) Don. Boſſius Chron. ad A. 4334. Bugattus Hiſt. l. 1.
(2) Plinius l. 3. c. 17.
(3) Guicciardinus l. 17.

quos cœperat. Mallem auctores proferrent, unde hæc hauſerint. Pompejus M. Piratas ad XX. M. captos, reſervandos equidem ad Reipublicæ uſus, & a ſævitia ad vitæ cultum, humanitatemq. traducendos putavit: *has ſecutus* (1) *rationes... multos eorum in exiguis, & prope deſertis jam Ciliciæ Urbibus collocavit agro iis addito: Solos etiam Urbem nuper a Tigrane Armeniæ Rege vaſtatam inſtauravit, multoſq. de Piratis in ea poſuit: multos Dyme recepit Urbs Achaica multum bonumque Agrum habens, & tum habitatoribus egens.* Eadem fere habet Dio [2] & Appianus [3]; neque uſpiam apud quemquam mentio Piraticæ Coloniæ in tranſpadanos, aut in Galliam Citeriorem deductæ. Immo id omnino incredibile: ſi enim M. Valerio, Poplicolæ Fratri, objecta olim crimini fuerat Colonia in Volſcos deducta ex egentibus Romanorum: *Objicitur mihi* [4] *& Colonorum in Volſcos deductio, quod agrum magnum & bonum non patriciis equitibus, ſed egentibus ex veſtro numero diviſerim;* ſique eundem Pompejum M. invidi ejus carpebant, quod Agrum Achaicum multum, bonumque Piratis permiſiſſet, quid non profudiſſent querelarum, ſi in ipſam Italiam barbarorum & latronum efferam illam manum induxiſſet, eique florentiſſimam regionem tribuiſſet in Gallia Ciſalpina, quæ cùm Polybii teſtimonio regioni nulli omnis Italiæ cedit, tum M. Tullii, atque adeo Cn. Pompeii ætate tanti fiebat, ut in ea niti videretur ſalus atque incolumitas Rom. Imperii;

(1) Plutarchus in Pompejo. (2) Dio l. 36.
(3) Appianus de Bello Mithrid.
(4) Dionyſ. Alicarn. l. 6. p. 374.

rii; ita enim prædicabat Cicero: *Nec vero* (1) *de virtute, conſtantia, gravitate Provinciæ Galliæ taceri poteſt: eſt enim ille flos Italiæ, illud firmamentum Imperi P. R., illud ornamentum dignitatis:* & ad Caſſium (2) *Præter Bononiam, Regium-Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus ſtudioſiſſimam Reipublicæ; tuos etiam Clientes Tranſpadanos mirifice conjunctos cum cauſa habebamus.*

Fortaſſe ea de Cn. Pompejo M. reſtitutore Urbis, deque Piratis ab illo in Laudenſi agro diſtributis, ſubnata eſt opinio, eo quod Dio Pompejopolim dicat appellatam ſubinde Urbem, quam Piratis Pompejus adſcripſerat; ſed nonniſi oſcitanter legentibus ſubjici hic error potuit: en Dionis verba [3] poſt piraticum bellum: *itaque & aliæ urbes habitari cœptæ ſunt, & quam Pompejopolim nominant, Solis prius dicta, ſita in Ciliciæ ora, quam Tigranes vaſtaverat.*

Fortaſſe etiam hæc orta ſuſpicio, & dubitatio ex ſilentio veterum Scriptorum; nemo enim excepto Plinio Laudem Pompejam memorat, quare accidit, ut Pompejo Magno hæc Colonia tribueretur, quod is notior fuerit.

Hoc tamen compertum jam, & dubio procul eſt apud omnes Laudem Pompejam Coloniæ jus habuiſſe a Cn. Pompejo Strabone, quo tempore Proconſul in Tranſpadanis agebat. Tum enim [4] *Strabo Pater Cn.* *Pom-*

(1) Cicero Phil. 3.
(2) Id. Ep. Fam. l. 12. ep. 5.
(3) Dio l. 36.
(4) Pædianus in Piſonianam Ciceronis enarr. 2.

Pompeii tranſpadanas colonias deduxerat: quas Colonias *Pompejus non novis colonis conſtituit; ſed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod cæteræ Latinæ Coloniæ.* Ea de re a Cn. Pompejo Strabone *Pompejæ* nomen habuit, urbiſque veluti conditor cenſendus; fortaſſe eo quod urbem in deductione Coloniæ inſtaurarit, uti etiam alia Inſubriæ Oppida, in quibus eſt Comum, quod afflictum a Rhætis reſtituit, teſte Strabone Geographo. Certe Laudenſes in Foro publico illi Inſcriptionem dicarunt ſuperiori ſæculo.

Civitate poſtea donati ſunt Laudenſes cum cæteris Tranſpadanis ab C. Jul. Cæſare Dictatore; namque is Gallis, (1) qui cis alpes trans Padum incolebant, quod ſub ſuo imperio, dum Galliis præerat, fuiſſent, civitatis jus dederat: adjecti autem fuere Pupiniæ Tribui. Si Inſcriptionibus, quæ apud Laudenſes ſunt, fidendum eſſet, videretur Laus.Pompeja adſcripta diverſis Tribubus, Pupiniæ ſcilicet, Fabiæ, & Ouſentinæ, namque has omnes Laudenſia monumenta deſignant. Sed ad Pupiniam pertinuiſſe oſtendit Zaccaria (2), qui de Laude Pompeja erudite plura more ſuo diſſerit, uti dum hæc maxime ſcribo intelligo ex primis noviſſimi ejus operis foliis, quæ videre licuit, dum a Typographo corrigenda, ſi quid excidiſſet, ſubmitterentur amico meo & contubernali Hieron. Tiraboſco, viro ſumme erudito, ab cujus ingenio nihil non expectandum. Porro autem cum marmora Tribus alias præferant, dicendum ea, aut

ad

(1) Dio l. 41. (2) Franc. Ant. Zaccaria *Series Epiſcoporum Laudenſium Mediol.* 1763. fere initio.

ad alias Civitates ſpectaſſe, uti ad Urbem Brixiam, quæ Fabiæ adnumerabatur, & illuc fuiſſe poſtea delata ut crebro accidit; aut fuiſſe advenarum, qui Laude Pompeja obierint; aut denique, [ſi minus hæc placent] eas inſcriptiones poſitas poſt Claudii ætatem dicemus, quando comitiis, ſuffragiiſque ſublatis, Romani cives honoris tantum cauſa Tribus profitebantur, eaſque arbitratu ſuo ſibi adjiciebant. Atque hæc quoad antiquitatem Urbis.

IV. Laudem Pompejam inveteratis ſimultatibus infeſtam Mediolaneuſes dedere excidio anno MCXI., qua in re conſulendus Joſ. Saxius in Landulphum Juniorem Mediolanenſem Hiſtoricum huic ruinæ ſupparem [1], idemque in Morenam Hiſtoricum Laudenſem, qui florebat anno MCLVIII. [2].

Suburbia ſeu vicos ſine mœnibus incolentes quadraginta & ſeptem annos ſub Mediolanenſium poteſtate fuere Laudenſes. Morena [3] tamen ait annos quinquaginta fuiſſe, pleno uſus numero hiſtoricorum more, qui aut pluſculum amplificant, aut rem minus compertam habent. Cum alia monumenta, tum hymnus, quem olim adhibebat Eccleſia Laudenſis de translatione S. Baſſiani ait [4].

Mille poſt centum decimumque primum
Referunt urbem hoſtibus everſam,
Sed reformata quadraginta ſeptem
Poſt fuit annos.

Cum autem Morena ſynchronus tradat incenſam & diru-

(1) Murena V. Script. Rer. Ital. T. 5. p. 486.
(2) Id. ibid. T. 6. p. 957. (3) Loc. cit.
(4) Ap. Lodium Diſs. 7. p. 312.

dirutam Patriam ſuam an. MCLVIII., dicendum alterutrum, aut primitus non funditus exciſam urbem fuiſſe, ſed, muris ſubverſis & ædium parte, in vicos diviſam; aut illo interpoſito annorum ſpatio quandam veteris urbis imaginem fuiſſe a Laudenſibus extructam, atque eorum opes auctas ſenſim fuiſſe: iſtam vero etiam, qualiſcumque demum eſſet, renovatæ urbis ſpeciem fuiſſe deletam a Mediolanenſibus.

Ut ut eſt, eodem anno Federicus I., ad quem extorres, exſpoliatique ſuis rebus Laudenſes confugerant, novam condere urbem ſtatuit; ejuſque jaci cœpta ſunt fundamenta ſub initium Auguſti menſis apud flumen Abduam, IV. fere P. M. ab eo loco, quem obtinebat: prius enim Silaro fluviolo aſſidebat. Deſignatus ſitus urbis in monte *Eghezzone:* Fridericus in diplomate, quo jure loci, aquarum &c. Laudenſes donat *Montem Ghezzonis* nominat. Minus proprie mons dicitur: Calchus [1] rupem vocat: conſentit vetus Laudenſium ſigillum; præfert enim Fridericum Aug. geminas urbes dextra lævaque geſtantem, Comum veriſimlius, & Laudem cum inſcriptione FRIDERICUS I. URBEM LAVDENSEM RVPEM STATVIT. Sed neque mons, neque rupes, utique verius terræ tumulus, ſeu grumus quidam dicendus; cujus circumſcribit fines Corius [2]. Jura, quibus conceſſa urbs civibus, declarat Cæſar diplomate dato *in Vigueria* [*Voghera*] III. Non. Dec. MCLVIII. A. Regni VII.

(1) Triſt. Calchus Hiſt. ad A. 1158.
(1) Corius Hiſt. ad eumdem annum.

VII. Imperii IV. apud J. B. Villanovam Hiſtoricum Laudenſem [1].

V. Manent Laudis Pompejæ veteris veſtigia apud vicum ruinis antiquæ Urbis inſiſtentem, cui nomen *Lodi Vecchio* [Cluverius, & Brietius *Lodève* vocant]. In his videtur S. Baſſiani Templum ab eodem S. Epiſcopo conditum, & conſecratum interventu S. Ambroſii [2] & S. Felicis Epiſc. Comenſis. Reliquiæ etiam manent pontis Silaro fl. impoſiti, apud quem SS. MM. Nabor, & Felix interfecti. Alia alio tranſportata fuere Laudis Pompejæ monumenta, plura tamen ad novam Urbem traducta. Referunt pleraſque Inſcriptiones Lodius, & Zaccaria: ſed hæc cæteris præſtantior, quæ antiquæ Urbis portæ erat inſculpta.

TI. CAESAR AVG. F.
AVGVSTVS
DRVSVS CAESAR AVG. F
PORTAM F. C

Eam aliqui tribuerunt Tiberio, & Druſo Auguſti Privignis, quo tempore bellum in Rhætos ſuſceperunt: ſed neque *Auguſtus* Tiberio addi tum potuit, Octaviano imperante; neque *Auguſti Filius* convenit Druſo Agrippa nato, qui nunquam ab Auguſto eſt habitus Filius, nec cooptatus, neque inductus unquam fuit in Familiam Cæſarum. Inſcriptio unice reſpicit Druſum Tiberii Filium, in quem conſentiunt omnia: atque ille veriſimilius Patris, ſuoq. nomine Portam Laude Pompeja ſtatuit, cum Tiberius Aug., ſpecie moti

(1) Villanova Hiſt. Laud. p. 38.
(2) Mombritus V. S. Baſſ. S. Ambroſ. ep. 60.: apud Maurinos IV.

moti Orientis, Germanicum a Germanicis Legionibus abſtraxit, filiumque eò miſit, qui ſuccederet, & militiæ ſueſcens ſtudia exercitus pararet, ut refert Tacitus (1). Conjici etiam poteſt, ab ipſis Laudenſibus exſtructam Portam fuiſſe, & dedicatam Tiberii Druſiq. nomine, ut eorum ſibi gratiam conciliarent. Sed quid hæc longius?

DIS-

(1) Taritus Annal. 2.

DISSERTATIO XV.

DE MARI GERUNDO.

DE Gerundo mari hæc carptim quærenda. I. Nominis antiquitas, & origo. II. Lacus cauſa, ſitus, amplitudo, veſtigia reliqua. III. Inſulæ quibus diſtinguebatur: minores Lacus eo exhauſto diu ſuperſtites.

I. Nuſquam apud Veteres Gerundum Mare legitur, primus ni fallor protulit typis Alemanus Finus. Is Hiſtoriam Cremenſem Anno edidit 1566., adjunxitque Epiſtolas ad eamdem pertinentes, quas *Serianas* appellavit. Earum prima oſtendit, quo Crema loco fuit condita, Inſulam fuiſſe, quæ pertingeret ab occidente ſole Gerundum mare: *la qual Iſola verſo ponente ſi ſtendeva fin al mare Gerondo, che così ſi chiamava il Lago, il quale fatto dall' Adda veniva fin alle Coſte di Chievi; che quelle erano le rive di quel Lago*. Unde nomen expiſcatus fuerit, an traditione manſerit, an ex veterum monumentis didicerit, non refert.

Defendens Lodius, qui plura diligenter explicavit de Laudenſium antiquitatibus ſuperiori ſæculo, ait inde uſque ab duodecimi ſæculi initio Mare Gerundum memorari [1] in tribus Inſtrumentis; ſupra eam ætatem nihil habet reliqui. Quod aſſequi tamen conjectura poſſumus, nomen eſt antiquiſſimum,

(1) *Def. Lodi Diſcorſi Iſtorici Diſc.* 8. pag. 403. & ſeqq.

ſimum, occurrit enim non ſemel in antiquis Scriptoribus. *Gerunda* memoratur a Ptolomæo, & Antonino, Urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, (*Girona* hodie eſt Vaſæo): Gerondenſes habet Plinius; Gerundam item appellatam quondam putat Leander Albertus Urbem [*Iſchia*] in Inſula Inarime. Huc adde *Geronta*, *Gerontis*, *Geronthon*, & ſimilia apud Lexicographos [1], quæ ſunt nomina Urbium, Inſularum, Portuum.

Gerunda, unde latine Gerundum, compoſitum eſt ex *Gera*, & *Unte*. *Unte* in lingua Celtica, quæ primitus apud nos valuit, ſignificat *Ulterius*: qua de re videndus [2] Baxterus. Idem enim ſonat in veteri lingua Britannica, quam alibi dixi celticam fuiſſe, & etiamnum in Wallia præſertim eſſe magna ex parte. Porro *Gera* ſeu *Gerra*, idem valet ac ſepta, & obſepta loca. Plinius (3) de Meninge Inſula Africæ, quæ etiam Catarichias, Lotophagitis, & Girba, ut hodieque *Gerbi* & *Zerbi*, appellatur, *Oppida habet duo Meningen ab africo latere, & altero Thojar:* Ptolomæus autem: *Lotophagitis, in qua oppida duo Gerra & Meninx*. Eadem igitur eſt *Gerra* Ptolomæi, quæ *Thojar* Plinii; Gerra autem Græcis ſunt *Septa*, vel, ut diximus, *Obſepta loca;* neque quid aliud ſignificat *Thojar* (4) vel Tojas punicum, deductum ex Syro *Toiro* ejuſdem ſignificationis. Gerra igitur ſeu Gherra procul dubio vetus fuit nomen autiquæ Urbis Inſubrum, quæ erat ad Abduam ſita Cremonam

inter

(1) V. Ortelii Theſaurum &c.
(2) Baxterus *Gloſſarium Antiquitatum Britannicarum V. Voluntii*. (3) Plin. l. 5. c. 7. (4) V. Bochart. Chanaan l. 1. c. 25.

inter & Mediolanum, quam Græci *Acerrem* & *Acherrem* dixere, *A* præpoſito, uti conſuevere crebro in aliis nominibus. Oppidum in ejus Urbis ruinis exſtructum vetus nomen retinuit, delatum, & impoſitum veriſimiliter a primis Inſubriæ incolis; qui erant origine Aſiatici; & *Gerra* debuit appellari. Ab ea itaque Urbe, quæ lacui aſſidebat, nomen illi *Gerundum* factum, veluti lacus ad Urbem *Gerram*, ſive *Acerrem* pertinens, ulteriuſque progrediens, quod terminatio *Unte* (1) ſignificat, *t* in *d* commutato.

Hunc lacum initio *Mare* appellarunt ex uſu conſuetudineque Aſiaticorum, quibus hic erat mos, ut lacus quandoque etiam maris nomine donarent, quare etiam memorantur *Mare Galilææ*, *Mare Salis*: *Mare Genezareth &c.* Atque hinc etiam poteſt conjici ita appellatum fuiſſe a primis illis gentibus, quæ poſt linguarum, aut dialectorum inductam varietatem diſperſæ pedeſtri itinere in Italiam pervenerunt; quos Celtas fuiſſe alibi jam oſtendimus. *Citii* enim, & *Cetii* ſunt Hæbreis Itali, neque vocabulum differt admodum a Celtis.

Fortaſſe hæc Gerundi Maris origo nonnullis acutior, minuſque adeo probabilis videbitur; neque huic lacui tantum tribuendum exiſtimabunt, ut nomen ad prima illa tempora pertineat, in tanto præſertim veterum ſilentio. Illi, ſi lubet, etymologiam aliam accipiant, ductam ex medio ævo, quo Romanenſis, quam vocant, valebat lingua, ex Inſubrici ſcilicet, Gallici, Latini, Langobardici ſermonis permixtione conflata. Vocabulum enim *Gerunda*

(1) V. Baxterum Gloſſarium Antiquit. Britannic. Art. *Voluntii*.

da in Inſubria æquipollebit *Bolſenæ* in Etruria, nomenque erit adhibitum ad explicandam lacus figuram rotundam, curvam &c.; præſtoque erunt exempla ex Celtica lingua deducta [1], quibus etiam contendi poterit initio non *Gerundum* Lacum, ſed *Rundum* fuiſſe. Particula enim *ge* plurimis præponebatur vocabulis aut ornamenti, aut dialecti cauſa, quin quidquam aliud vox ſignificaret, aut commutatio nominis ſequeretur. De nominis origine ſatis; in re obſcura licet unicuique quod libet, divinare: ſi cui hæc minus placebunt, is aliam Etymologiam dabit, eamque nos etiam amplectemur, ſi veriſimiliorem videbimus.

II. Origo, cauſaque eluvionum, quibus Gerundum Mare effectum, Padus in primis fuit, qui obſtructis alluvie oſtiis ægre in Adriaticum Mare defluebat, & reſtagnans paludes faciebat, de quibus Strabo [2]: *magna intra Padum pars paludibus obtinebatur, per quas Hannibal magnis difficultatibus iter fecit in Thuſciam. Cæterum Scaurus deductis ex Pado uſque in Parmenſium agrum foſſis, navigationibus commodis paludes exſiccavit e campis. Per Placentina ſiquidem arva Trebia Padum influens, aliique item complures ante fluvii ultra modum plenius ſtagnant.*

Neque minus ſtagnabant, & planitiem circumluvionibus obtegebant Serium, Umbro, & Abdua, ſive quod interclusus aut obſeptus eorum eſſet decur-

(1) V. Roſtrenen Diction. Celt. art. *Courber*: Menage Diction. Etimolog. de la L. Francoiſe ed. 1750. art. *ronde* & *Garonne*: Wachter Gloſſar. in Prolegomenis ſect. 5. (2) Strabo l. 5.

curſus in Padum intumeſcentem ipſummet, atque impeditum, ne plenius in mare confluerct; ſive quævis alia fuerit cauſa. Fortaſſe enim antiquiſſime minor fuit fluminum magnitudo, & vis. Conſtat enim planitiem tunc omnem fere Inſubriæ obductam fuiſſe denſiſſimis ſilvis; quare maxima aquæ pluviæ pars excipi, atque ebibi debuit ab ipſo ſolo inculto & aſpero, abſorberique a radicibus arborum. Hinc neque infinita illa rivorum multitudo decurrebat in fluvios, uti poſtmodum, cum omnia culta, in ipſiſque met collibus & montibus ſatæ ſunt vites evulſis ſylvis. Profundo igitur minus alveo ferebantur fluvii, & minus celeri curſu, ut etiam indicat congeſta alluvies ad Padi oſtia, quam, citatum rapidumque decurſum ſi flumen habuiſſet, in mare devolviſſet.

Sed quæcumque demum fuerit ratio, certe magna Langobardiæ orientalis pars Mediolanum inter & Cremonam ſtagno maximo obruebatur, idque videtur manſiſſe diutiſſime; namque ſub Alboini, Langobardorumque in Inſubriam irruptionem, anno ſcilicet 570., adhuc erant vaſtæ inter Cremonam, Laudemque paludes ab Ollio, Serio, & Abdua amnibus, facile anguſto tum alveo, exundantibus editæ. Eas vero etiam Romanorum ætate extitiſſe non ſolum ex Strabone cognoſcimus, ſed ex itinere Romanorum exercituum antiquis Reipublicæ ætatibus, qui ut Bellum Inſubribus inferrent, plerumque per fines Cænomanorum altius ſitos tranſgrediebantur in Inſubriam.

Initium eluvionum, quibus Mare Gerundum conficiebatur, paulum erat infra Tricium caſtellum, ubi pla-

planities Orientem ſpectans ſubſidit. Ibi videtur Abdua fluvius Tricii anguſtias eluctatus aquarum eluvionem exoneraſſe: quæ eluvio dextra lævaque Umbronis, Serii, aliorumq. amnium paludes comprehendens, continenti æquore efficiebat Gerundum Mare. Itaque ſub Tricio ſe ſe explicans pertingebat Caſſianum, Trucazzanum, Sancolumbanum, Gerram ſive Acerrem; inde ulterius trans Abduæ alveum procurrens ab oppido Piceleone [*Pizzighettone*], & Cremam deflectens, eamq. circumluens, Ripam altam, ſive Ripaltam (*Rivolta*) & Ripaltulas duas in Cremenſibus (*Rivoltella*, *Rivoltina*) allambens, Laudem novam, Ripaltam Siccam in Mediolanenſi agro (*Rivolta ſecca*), Pandinum attingebat, atque ita ad ſua initia regrediebatur, magno amplectens circuitu pleramque Cremenſis, Laudenſis, ejuſque regionis partem, quam Glaream Abduæ (*la Giarra d'Adda*) appellamus. Quod ſpatium latitudine incerta longitudinem habebat ad millia paſſuum amplius quadraginta. Amplius dico, namque hiſtoriis conſtat ab nova Urbe Laude adnavigatum fuiſſe Cremonam uſque, & procurriſſe paludes in Cremonenſem agrum.

Hæc autem Gerundi Lacus veſtigia: in Trucazzani tractu Turris cum navalibus anulis permagnis adhuc ante triennium videbatur; nunc anulos deſperata hominum egeſtas detraxit: inde deſcendendo occurrunt alterius Turris veſtigia. De Sancolumbani collibus Bonaventura Caſtillionæus [1] hæc tradit: *in plantandis vitibus, quibus colles ipſi maxime*

(1) Bonav. Caſtillionæus Gall. Inſubr. p. 10.

xime abundant, *navium roſtra*, *anchoræ*, *& hujuſcemodi reliqua navium inſtrumenta ſingulis fere annis effodiuntur*, *quorum reliquias eo in oppido aliquando mibi vidiſſe contigit*. Apud Piceleonem neſcio qui agri deſcribuntur in inſtrumento A.1207. affines [1] crepidini, ſeu ripæ Maris Gerundi. In Clevi [*Chievi*] crepidine, qui locus tria circiter paſſuum millia abeſt ab Urbe Crema Laudem verſus, repertæ ſunt [2] columnæ roboreæ cum catenis ad alligandas naves. Apud oppidum Agnadellum in tranſabduano tractu paucos ante annos tigna ſimilia inventa: in crepidine [3] montis Eghezzonis, ubi ab Friderico I. Aug. Laus Pompeja fuit extructa, Turres duobus abhinc ſæculis navales etiamtum anulos præferebant; quarum turrium numero indicioque docemur portum eo loci antiquitus fuiſſe. Apud Pandinum fundamenta ſimilis turris viſuntur: non hinc multum abeſt Ripa pagus [*Riva*], famaque valet etiamnum a majoribus accepta ab oppido Trucazzano, quod e regione eſt fere, ad quatuor circiter milliaria huc adnavigatum.

Omnis autem interjecta, quæ modo eſt agri frugiferi amplitudo vaſti alvei imaginem refert: ſinuoſi ubique campi, arenoſum ſolum, declives alicubi ad modum vallium agri, diſtincta continentibus clivis, & crepidinibus planities, quibus eſt adhuc italice nomen, *coſta*, quo nomine acclivitates imminentes fluminibus appellamus.

III.

(1) Def. Lodius ſerm. 8. p. 404. (2) Finus feriana 1.
(3) Lodius loc. cit. p. 401.

III. Totum hoc ſpatium, circumluvionibus fluminum obductum, pluribus Inſulis diſtinguebatur. Nonnullarum habemus indicia, quo eſſent loco. *Portatoris* Pagum litteræ Ducum Mediolanenſium [1] *Inſulam Portatoris* vocant: neſcio an Inſula etiamtum ſupereſſet, an vero memoria dumtaxat a majoribus tradita. *Iſella* pagus apud Ceretum in agro Laudenſi parvulam Inſulam prodit ipſo nomine. Alia ejuſcemodi veſtigia: ſed magnitudine, & celebritate cæteras ſuperavit, quæ ſita erat, quo deinde loco condita eſt Crema, quæque diverſis ætatibus perfugium Inſubribus præbuit adverſus Barbarorum irruptiones. Sigonius de Alboini huc adventu, A. 570. poſtquam Tridento, Vicetia, Verona, & Cænomanorum oppidis potitus, inde Abdua trajecto Inſubriam invaſerat [2]: *ſub ejus* inquit *incurſum... tanta conſternatio, ac fuga facta, ut plerique deſertis Urbibus ad paludes & Lacus, quo adiri a Langobardis, niſi navigiis comparatis non poterat, ſe referrent. Erant tum vaſtæ inter Cremonam Laudemque paludes ab Ollio, Serio, & Abdua amnibus facile anguſto tum alveo exundantibus editæ, eædemque multis inſulis interdiſtinctæ. Harum quæ magnitudine cæteras ſuperabat vicinorum, ut fertur, populorum perfugium fuit. Ex quibus cum aliquot perpetuas ibi ſedes ponere decreviſſent XVII. Cal. Sept., qui dies Divæ Dei Genitricis Aſſumptioni ſacratus eſt, locum munire cœperunt, eumque a Cremete ſingularis inter ſe auctoritatis viro Cremæ nomine appellarunt. Exſiccatis*

(1) Def. Lodius loc. cit.
(2) Sigonius de Regno Italiæ init. p. 15. ed. Med.

tis inde paludibus, locus incolis frequentatus, atque opibus ſenſim adauctus eſt.

Atque hæc illa eſt Inſula Fulcherii Scriptorum commendatione illuſtris, quam omnes hactenus in Glareæ Abduanæ regione collocatam putarunt; primuſque Comes Georgius Julinus qua in cæteris, ita hac in re, mira acrique diligentia animadverſo veterum errore, ſuo loco (1) repoſuit. Et vero Fulcheriæ Inſulæ ſitum manifeſte deſignat in Cremenſi agro diploma Henrici VI. Reg. & Imp. V., quo Cremonenſibus concedit poſſeſſionem Caſtri Cremæ, & Inſulæ Fulcherii A. 1192. (2). *Hæc autem ſunt*, inquit, *loca in Inſula Fulcherii conſtituta Palazum, Pignanum, Montes, Vajanum, Bagnoli, Clevus, Cauregnanega, Palazanum, Credaria, Roveretum, Muſcazanus, Montodanus, Rivoltella, Rivolta, Umbrianus*. Quæ ſunt oppida Cremæ circumjecta: eadem, multoque magis circumſcripta, quoad Fulcheriæ ſitum, habentur in Decreto Imperialis Legati in controverſia, quæ Friderico I. fuit cum Cremenſibus de ea Inſula A. 1188. *Credit* (3) *Dominus Guielmus, & verum eſt, quod Inſula Fulcherii cum omnibus ſuis pertinentiis eſt Regalia: & credit, quod poſt deſtructionem Cremæ Dominus Imperator habuit & tenuit cum hoc ordine, habendo plenam juriſdictionem, & dominium locorum infraſcriptorum, videlicet Azanum, Torlinum, Palatium, Mons, Vallianum, Bagnolum, Clevum utrumque, Placianum ſalvo jure Laudenſium, quod habent in Placiano, Capregnanega, Credaria, Rovo-*

(1) Julinus Mem. Hiſt. T. 7., qui eſt ſub typis.
(2) Muratorius Antiq. Italic. T. 4. p. 232.
(3) Ibid. T. 2. p. 79.

voretum, *Moſcacianum*, *Monſtodunum*, *Gomedum*, *Rivoltella*, *&* *Rivolta*, *Umbrianum*, *Sanctus Laurentius*, *&* *Sanctus Andreas*, *& totum hoc quod eſt extra Foſſatum & ſuburbium Cremæ. In his autem locis habuit, & tenuit Dominus Imperator medietatem totius vini, & de terris militum quartum &c.* Errarunt igitur qui Inſulæ Fulcheriæ nomen largiti ſunt Abduanæ Glareæ, quamquam etiam illo in tractu una, pluresve fortaſſe Inſulæ fuerint.

Succeſſu temporum cum & Pado, & influentibus in Padum fluminibus decurſus atque exitus patuiſſet, exhauriri cœpit Mare Gerundum, attamen multi minores lacus diutiſſime ſuperfuere. In antiquis monumentis hi memorantur in agro præſertim Laudenſi, videlicet Lacus Cereti A. 1147.; Gemini navigabiles lacus apud Cavenagum A. 1148. & 1203.; præterea Lacus Galganiani A. 1267., 1361. 1470.; Fanzagi A. 1309.; Arcaniæ 1361.; Faitæ 1344.; aliique, de quibus abunde Lodius [1].

Inſuper conſtat Laudem Pompejam magna ex parte circumfuſam Paludibus fuiſſe etiam ſæculo duodecimo inclinante. Cremonenſes enim cum obſiderent novam Urbem cum cæteris Fœderatis, ut eam in ſocietatem pertraherent, quam, ut ſe defenderent adverſus Fridericum I., conflaverant, Caſtra in navigiis fecerant, conſtiterantque in palude Silvæ Græcæ, ut refert Otho Morena Hiſtoricus Laudenſis ejus ætatis [2]: Acta autem Pacis & Societatis initæ inter Civitatem Mediolani, & Laudis Pom-

(1) Def. Lodius ſerm. 8. pag. 405. & ſeqq.
(2) Otto Morena ap. Script. Rer. Ital. T. 6. p. 1139.

Pompejæ A. 1199., late patentem navigationem Cremonam uſq, & Portum, quem ſuperius attigi, floruiſſe tum commemorant: *Item* (1) *Mediolanenſes tenebunt Portum ad Civitatem Laudæ, & uſantias portus. Nec facient incantum in aliqua Civitate, vel Loco, vel Caſtro, vel Villa, vel Burgo, de eis rebus, quæ ducuntur, vel ducentur per nave a Cremona in ſurſum, nec in Cremona, nec navigationes ſuas ducent per navem inter Portum Laude ſupra & infra uſque Cremonam excepta negotiatione blavæ, & leguminum, & vini ... nec operam dabunt, ut Laudenſes amittant prædictum Portum, & bona fide adjuvabunt manutenere Portum in prædicta Urbe.*

Magna igitur aquarum vaſtitas etiam tum ſupererat, cum a Mediolanenſium finibus adnavigari Laudem, indeque Cremonam poſſet continenti ductu. Fortaſſe tamen non omnes hi lacus reliquiæ ſunt Gerundi Maris, ſed novis Abduæ, Silari, Umbronis amnium eluvionibus effecti ſunt. Ut ut tamen res fuerit, ſucceſſu ætatum, atque induſtria incolarum aquis in alveos inductis ad planitiem irrigandam, planeque exhauſtis paludibus, omnis, quem Mare Gerundum obtexerat, pulcherrime explicatus eſt ager.

* * * *
* * *

DIS-

(1) Muratorius Antiq. Ital. T. 4. p. 368.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

DE SEVERINI BOETII SUPPLICII LOCO.

NE Ticinenſium videatur quidquam de laude detrahere Inſcriptio, Severini Boetii mortem in *Calventianum* Pagum transferens, contra inveteratam nonnullorum opinionem, qui eum Papiæ putant carnificis manu occidiſſe, totaque adhuc in corpore extante anima, diſſiſſo licet capite, progreſſum fuiſſe ad Templum *S. Petri in Cælo aureo*, ibique Euchariſtia communitum conquieviſſe, primum quidem Scriptores afferam: I. Qui Boetium Ticini gladio ſublatum fuiſſe contendant. II. Qui ſecus & vere cenſeant. Exiſtimabit Lector utris habenda ſit fides.

I. Jacobus Gualla in Papiæ Sanctuario hæc [1]: *At priuſquam* [Boetius] *efflaret animam, Deus viri Sanctitatem hoc expreſſo miraculo voluit declarare, pervetuſtis etiam Ticini Chronicis atteſtantibus, quod a loco Martyrii, capite in duas partes ſciſſo mucrone cruento, divina virtute eas ipſe propriis ſubſtentans manibus, junctas detulit ad ipſum aureum Templum: ibidemque ad Altare genibus flexis* [*quia Chriſtianiſſimus ſuſceptis pro more Chriſtianæ Religionis S. Matris Eccleſiæ Sacramentis*] *in Cælum perbeatum emiſit ſpiritum*. Hæc ille A. 1587. ſcribebat.

Quadraginta paulo amplius annos ante Guallam Martianus Rota in Boetii vita, quæ præpoſita eſt ejus operibus, eadem ferme tradiderat: *Ticini*, inquit, *Incolæ ſemper a Majoribus traditum conſtanter*

(1) Gualla loc. cit. l. 4. c. 16.

ter aſſeverant, Severinum cum regius ſpiculator lethale vulnus intuliſſet, utraque manu divulſum caput ſuſtinuiſſe, interrogatumque a quonam ſe percuſſum exiſtimaret, ab impiis reſpondiſſe: atque ita cum in vicinum Templum veniſſet, & flexis genibus ante altare Sacra percepiſſet, poſt paululum expiraſſe. Extinctus divinos honores a noſtris conſecutus eſt, quod pro Catholicis contra perfidiam Arii mortem ſuſtinuerit.

Martiano favet Baronius (1), & videri poteſt conſentire Anaſthaſius Bibliothecarius, qui vitam explicans S. Joannis I. P. & M. ait Boetium gladio fuiſſe interfectum: *eodem tempore cum hi infraſcripti, ideſt Papa Joannes cum Senatoribus Theodoro exconſule, Importuno exconſule, Agapito exconſule, poſiti eſſent Conſtantinopoli, Theodoricus Rex Hæreticus tenuit duos Senatores præclaros, & exconſules Symmacum & Boetium, & occidit interficiens gladio.* Horum præcipue auctoritate nititur Ticinenſium opinio.

Contra ſunt tamen multa: namque Anaſthaſius eo loci aut minus diligenter, aut minus rem doctus, Symmaci & Boetii mortem conjungit, & & utrique aptat, ut obſervat Papebrochius, quod uni convenit, quodque vulgatum fortaſſe fuerat, videlicet Boetium gladio occidiſſe, æque ac Symmacum, ad leniendam crudelitatem immanem ſupplicii, quo Boetius fuerat tortus ſive juſſu Regis, ſive petulantia tortorum, ut falſi criminis accuſationem extorquerent.

Omnino tamen ſic habet, ut Symmacus gladio conciderit A. DXXV.; Boetius autem, nec gladio, A. DXXIV. Marius Aventicenſis in Chronico, (1) Con-

(1) Baronius T. 9. ad A. 526. p. 354. ed. Lucent. 1741.
(1) V. Pagium in Baronium ubi ſupra p. 336.

Conſulibus Juſtino II. & Opilione, qui Conſulatum geſſere A. DXXIV. *eo*, inquit, *anno interfectus eſt Boetius Patritius in Territorio Mediolanenſi*. Proximo autem (1) anno DXXV., duo fuere Conſules Philoxenus, & Probus Junior, *His Coſs. occiſus eſt Symmacus Patricius Ravennæ*. Denique A. DXXVI. S. Joan. I. P. & M. Ravennæ in cuſtodia obiit [2] Flavio Anicio Olybrio Conſule ſine Collega. Quamobrem corrigendus Papebrochius (3) qui ſecutus Baronium exiſtimavit Boetium paulo ante S. Joannis I. mortem, Symmacum vero paulo poſt eandem interfectos.

Martiani porro auctoritatem nihili facit, & merito Pagius: de Baronii enim ſententia diſputans quoad memoratum prodigium, *quæ*, inquit, [4] *refert ex Julio Martiano auctore futili ac recenti fabuloſa ſunt*. Poſt Baronii mortem Henr. Valeſius Ammiani Marcellini libris ab ſe illuſtratis, Pariſiiſque editis A. MDCLXXXVI. adjecit Scriptorem Anonymum, qui ſtrictim Cæſarum Hiſtoriam a Conſtantio Chloro uſque ad Theodorici interitum perſecutus eſt; a quo, utpote coævo, certius omnia explicantur, quæ ad Conſtantinopolitanam legationem S. Joannis I., quæque ad Boetii, & Symmaci mortem pertinent.

II. Nos ſatis legentibus faciemus, ſi quæ ad Boetium ſpectant, ſubjiciemus (5): *Tunc Albinus & Boetius ducti in cuſtodia ad Baptiſterium Eccleſiæ: Rex vero* (Teodoricus) *vocavit Euſebium Præfectum Urbis Ticini, & inaudito Boetio protulit in eum ſententiam. Qui mox in agro Calventiano, ubi in cuſto-*

(1) Id. p. 342. (2) Ibi A. 526. init. (3) Acta SS. Bolland. T. 6. Maji, ad diem 27. V. S. Joannis P. & M. c.4. (4) Ibid. p.355. (5) Anonym. Valeſianus ibi p.670.

ſtodia habebatur, *miſit Rex*, *& fecit occidi*. *Qui accepta corda in fronte diutiſſime tortus*, *ita ut oculi ejus creparent*, *ſic ſub tormento ad ultimum eum fuſte occiditur*. Subdit Valeſius: *Juſtino Auguſto II. & Opilione Coſs. occiſus eſt Boetius in territorio Mediolanenſi*, *ut ſcribit Marius in Chronico*. Papebrochius autem poſt allatam Anonymi Valeſiani auctoritatem, attingens, quæ narrant Gualla & Martianus, *viderit*, inquit, (1) *lector cujuſmodi fidem traditioni iſti adhibere velit poſt mille circiter annorum ſilentium: tantum ne credat Ticini peractam tragœdiam*, *ſed in agro Calventiano*.

Ex his videtur ſtatuendum Boetium quidem primum Papiam traductum fuiſſe, ibique cum Albino incluſum Turri fuiſſe, quæ Baptiſterio majoris Eccleſiæ imminebat. Saccus Hiſtoricus Ticinenſis (2) ait Turrim fuiſſe ſua etiam ætate, quæ dicebatur Turris Boetii, eamque ſitam prope Monaſterium Annunciatæ. Cum autem Baptiſteria Cathedralibus adnecterentur, ibi Boetii ætate dicendum Cathedralem fuiſſe. Non Cathedrali procul Palatium erat Regium, cui jungebatur Turris: *quæ quidem Turris Paulo Hiſtorico referente*, *Palatio Regio jungitur*, *juxta portam*, *quæ nunc etiam*, *prout & tunc*, *Porta nominatur Palatii*, ait Gualla (3); ejuſque opinionem confirmant veſtigia Regii Palatii non inde multum disjuncta a Turris loco. Turris ſubinde appellata eſt *Imperatoria*, eadem certe de cauſa, qua Palatium ſuccedentium ætate Cæſarum, non amplius Regium, ſed Imperatorium vocatum eſt. Turris quod fatiſceret, ruinamque minitaretur, di-

(1) Papebroch. Acta SS. T. 6. Maji die 27. V. S. Joan. P. & M. c. 4. (2) Saccus Hiſt. Tic. l. 7. c. 18. (3) Guall. S. Tic. l. 4. c. 16.

diruta fuit, ejus tamen formam Ticinenſes æri incidi curarunt, ne Boetii carceris memoria interiret: videturque in typo deſignatus etiam ejus locus.

Ticini igitur Boetius contruſus in carcerem aliquandiu jacuit, fortaſſe uſque dum Theodoricus ſententiam proferret: tum in Calventianum agrum traductus eſt aliquantulo, ut minimum, ante ſupplicium tempore; quamquam etiam ante latam ſententiam exiſtimo fuiſſe translatum ex Urbe Papia Calventianum. Saltem hoc indicant Anonymi verba: *Rex.. protulit in eum ſententiam, qui mox in Calventiano agro, ubi in cuſtodia habebatur, miſit Rex, & fecit occidi*.

At quo tandem loco poſitus ager Calventianus? Tametſi Anonymus Calventiani locum diſſimulat, reſcimus tamen ex Mario fuiſſe *in territorio Mediolanenſi*. Duplex vero hoc nomine Pagus eſt in agro Mediolaneuſi, alter trans Abduam apud oppidum Caravaggium, alter vero cis Abduam non Mariniano procul Papiam verſus. In priori vico antea ſuſpicabar Boetium fuiſſe interfectum. Hæc me movebat ratio, quod non videbatur, cur Theodoricus Boetium Ticino, ubi detinebatur, transferri alio juberet, niſi ut ſummi, omnique in Italia clariſſimi Viri calamitatem, & ſupplicium, quod deſtinaverat, ſubduceret urbis frequentiſſimæ oculis, quæ non poterat non commoveri ejus, aut aſpectu, aut nuncio. Neque huic rei cavebatur ſatis captivo in pagum Calventianum Mariniano proximum traducto, qui Pagus vix fortaſſe P. M. X. Ticino abeſt; neque multum diſtabat tum a Militari via, qua Mediolano Laudem Pompejam erat iter.

Favebat autem alterius Calventiani ſitus; namque

que & remotior, & eo loco poſitus, ubi ingentes tum paludes regionem impediebant, ut accommodatior videretur, & detinendis, & conficiendis per ſe captivis: igitur huc inclinabam. Quæ cum Marchioni Theodoro Trivultio tum amice, proq. veteri conſuetudine aperirem, negavit ille Calventianum Caravaggienſe ea ætate in Mediolanenſium agro fuiſſe; atque hæc argumenta afferebat: Civitatum jura eoſdem plerumque fines antiquitus habuiſſe, ac Diœceſes; Diœceſeos autem Mediolanenſis fines ſeptimo ſæculo non excurriſſe trans Abduam; primumq. Heribertum Archiepiſcopum poſt ſæculum X. aliquot oppida Tranſabduana ſubtraxiſſe Ditioni Laudenſium, atque illinc Mediolanenſium fines amplificare ſtuduiſſe: neque vero videri nihili faciendam traditionem, quæ antiquitus Mariniani viget, Boetium in ejus confiniis fuiſſe ſublatum. Itaque de mea decedens in Trivultii ſententiam conceſſi.

Papebrochius ignorare videtur, quo ſit loco Calventianum: omnis hinc difficultas Viro ſapientiſſimo extitit, quod Boetius detineri ſe dicat incluſum quingentis paſſuum millibus ab Urbe Roma. Sed Boetius fortaſſe modo quodam dicendi eum numerum uſurpavit, ut ſummam longinquitatem declararet ab ea Urbe, in qua & Conſul in conſpectu omnium fuerat, & rerum potens apud Theodoricum floruerat, anteaquam obrueretur calumniis. Præterea, ſi ſpatium, quo fortaſſe per diverticula Ticinum ductus eſt, aut iter, quo Romam Lauretana itur via, conſideremus, & noſtra cum veterum Milliaribus comparemus, quæ multo erant breviora, non multum fortaſſe a numero Boetii abſumus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00565294J

Digitized by Google

MARIO CICCIOPINTO
LEGATORIA
ROMA - Borgo Vittorio, 86